
PRO TVENDO SACRO COELIBATV AXIOMA CATHOLICVM:

AVthore Reuerendo in Christo Patre Roberto, Arboricensi Præsule, Doctore & ordine & origine Parisiensi.

PARISIIS
Apud Ioannem Roigny, via ad D. Iacobum, sub Basilisco, & quatuor elementis.
1545.

AD SPECTABILEM, MEritoque suspiciendum ac venerandum patrem D. Godefridum Tilmannum, apud Vallis viridis cœnobium in pomœriis Parisiensibus Cartusianum ordinem professum, ac bene merentem, liminare præloquium.



IX commodius vnquam, fœliciúsue cecidisse potuit immensæ & inexhaustæ semper ac perpetuæ benignitatis alea, venerāde Pater, quàm vt re ac nomine simul verè macarij, hoc est, verè beati: eiusdemque ter maximi, hoc est, philosophi, iudicis, ac theologi, Areopagitæ causa ab his defenderetur, tuendaque susciperetur: qui vel hoc vno nomine à toto orbe Christiano bene audiunt, quòd censeantur Areopagitis omnibus reticentiores: quorum claustra & cœnobia ex totius professo ordinis non Pythagoricum modò, hoc est quinquennale, imò verò perpetuum ac perenne silentium obseruāt: vt iam non dicantur silētiora claustra, imò verius mera atque ipsissima silentia. Sic morum paritas hominum pectora conciliare solet, etiam dum nihil tale ipsi aut meditantur, aut cogitant. Tu igitur ex perpetui silentij assiduis cultoribus (hoc est Cartusianæ professor

familiæ) vnus nobis conspicuus ades, qui Areopagitam silentiarius, deiuidum ac theosophum theologus, sapientem, multiscium trilinguis philosophus, ab iniuria illata vindices: & ea maximè, quæ cæteris sæuior esse solet, nempe plagiatus. Emerserunt enim his diebus plagiarij nonnulli, qui gnesios ac verè germanos Areopagitæ Dionysij fœtus ab ipsius parentis sinu surripere voluerunt, hoc est cœlestis atque ecclesiasticæ Hierarchiæ sanctißima opera. Quorũ eum, qui antesignanus est, ita corripis ac flagellas, vt huiusmodi exemplo cæteri effici debeant ad similem inferendam iniuriam tardiores, ni velint ipsi fieri toti fabula mundo. Ita enim traduci merentur, qui impudentia magis ac temeritate, quàm alia acti ratione, aduersus priscos, & eos quidem sanctißimos patres, huiusmodi plagiatus flagitium committere non verentur. Et quando semel accepta occasione sermo super his rebus incidit, cùm à primæuo ecclesiæ nascẽtis initio preterlabentium annorum variam conditionem mecum confero: alterius generis laborem huic nostri æui ecclesiæ imminere video, quàm qui priscus eam olim premebat temporibus. Olim siquidem summus labor, curaq; maxima Patribus erat sacrorum axiomatum inficiatores ac pertinacißimos euersores suis (quibus maximè pollet) inuictißimæ veritatis armis confutare, propriisque in hoc maximè confectis telis eorum domare cõtumaciam: nunc inficia-

torum loco ac manifestorum hæreticorum obrepere cœperunt amphisbænæ quædam, vtrinque hominibus arridentes, à capite tamen & cauda noxiæ: quibus quicquid opponas, nihil abnuunt: tantùm omnia in ambiguo ponunt: hoc scientes, quòd vbi fixa alioqui columna semel inclinare in partem aliquam cœperit, facilè trahi poßit in ruinam. Hi sunt ecclesiasticorum dogmatum versutißimi calumniatores, dubitatores delicatißimi, in quamuis partem deflectere parati, arundines leuißimo agitatæ vento, qui in rebus etiam fide certißimis vt tremulæ arboris frondes statim trepidant, & ad omnes flatus vacillant. Hi sunt, qui de credulis opinatores, de fidelibus euadunt planè academici ac prorsus infideles: cùm nemo nesciat dubitantem in fide infidelem esse. Ita ecclesiæ decretis occiput obuertunt, facie penitus conuersa in hæresim, (tametsi longè ab ea se abesse videri velint:) vt nemo nisi admodum oculatus deprehendere poßit, an pro catholicis, an pro hæreticis potius habendi sint. Hos tamen iure & quidem optimo asserere ausim esse manifestis hostibus lõgè perniciosiores. Hæreticos siquidem apertos qua parte adoriri poßis, in promptu occurrit: istos vix agnoscas, qua via inuadere queas. Nam modò aiũt, modò negant, modò neutrum agentes solùm hæsitant. Cuniculos sibi effodiũt, rimulas sibi parant: vt dum vna nequeunt via, alia saltẽ sibi effugium adornent. Nec

cœlo adhærentes nec terræ, in medio suspensi volitant: vt quicquid agas, quicquid moliaris, in quamcunque partem te vertas, prorsus ignores quo teneas nutãtem Prothea nodo: adeo sunt omni euripo instabiliores. Hi scilicet sunt nostræ ætatis hæretici, ac malè creduli, nihil quàm dubitare aut hæsitare scientes aut docentes: vt saltẽ quãdo aliud non possunt, de fideli malè credulum reddant, opinatores potius quàm fideles: vt ea quæ fidei sunt, in opinionem commigrare faciant, modò dubitantes de autoribus librorum canonicorum, modò hæsitantes qui libri pro canonicis habendi sint: nunc an nostra editio sit Hieronymi: an non denique sacramẽta omnia à deo instituta sint necne pro controuerso habentes: sicque in omnibus pro credendi sciendique methodo artem dubitandi obtrudũt. Hos dubitatores magis quàm doctores, & dißimulatores potius quàm professores merito dixeris. Doctoris enim & professoris est dubia non tam proferre, quàm prolata diluere. Atqui omnibus est in procliui, etiam rerum omnium ignaris, ad omnem hæsitare quæstionem: doctoris verò est obuios quosque enodare nodos, & occurrentes quaslibet controuersias euoluere, ac dissoluere quæstiones. Quare satius illis fuerat, quæ incidebant dubia non opponere, quàm prolata in ambiguo relinquere. Et tamen vel hoc vno nomine sibi placent, quòd leuißimis etiam ac vanißimis rationibus (vt

& ipsi leuißimi sunt) agitati, cathòlica axiomata apud imperitos in ancipiti relinquant: cùm nemo nesciat, multo facilius esse, trabem in puteum deiicere, quàm deiectam sursum erigere. Deiciunt autem, qui dubia mouent: erigunt, qui mota dissoluunt. Verùm quid dicam de huiusmodi hominum ineptia, qui rationes dubitandi nedum non à se excogitatas proferunt, sed à priscis patribus iampridem & in lucem editas, & suæ luci (hoc est extra ambiguitatem) redditas, quasi ex sua proferunt officina? Atqui illud maximè mirum est, si non pigebat eos leuißimas has proferre argutiolas: cur etiam non proferebant solidiores obiectis rationibus solutiones? Et certè illud eis erat in procliui, si vel à limine tantum veterum monumenta perlustrassent. Verùm quid facias his opinatoribus opinatißimis? quibus ea vna cura fuit, vt lucida in obscura, candida in nigra, deniq; axiomata in problemata conuerterent. In quibus dubitator insignis, imo & dubitatorum antesignanus, mihi Erasmus visus est. Quē iccirco, vt video, insectaris mi Godefride suauißime: non tā vt odiose illi noceas, qui iam apud iudicem, quem nihil latere potest, suā causam peregit: quàm cæteros sequaces (qui proh dolor plurimi extant) ab huiusmodi exemplo absterreas. Qui vtinam non tam odiose fuisset insectatus ecclesiasticam disciplinam: quam sic tractasse visus est, vt de tutoris partibus ad desertoris signa

confugisse videatur. Ob id enim therapeuticès, hoc est sacris ritibus religionis detraxisse visus est: ne ab ipso, quem vtinam non temerè deseruisset, ordine malè audiret: aut si forte audiret, haberet ad manum quod retaliari posse videretur. Sic dum quis timet sibi à conuicio, conuiciatorẽ probris incessere ac præuertere laborat, ne incruentum à se hostem abire sinat, etiamsi iustissime fuerit ab eo impetitus. Tu verò mi Godefride nutantem hunc Prothea ita mediũ tenes in hac silẽtiarij tui Areopagitæ causa, vt diuturnum silentium nunc pro voce habeatur, & ea quidem vocalissima, imò vero tubali potius: quæ facile queat aduersus huiusmodi calumniatores ære ciere viros, Martémque accendere cantu. Horum calumniatorum quis non miretur astutiam? A quibus si quis percontetur, prolata in affirmatiuam partem ratione: Sintne Areopagitæ opera, quæ circunferuntur? Audito statim argumento, dicent se non prorsus inficiari, quin ipsi Dionysio Areopagitæ tribui possint: verum illud negari à quibusdam. Rursum si cõtendas ea non esse Areopagitæ: dicent, Nec id quidẽ carere ratione, esse tamen aliquos qui contrarium asserant. Sicque anguilla elabitur è manibus, re ipsa in medio derelicta. O doctores egregios, imò verius dubitatores (si fas est dicere) strenuos: qui nihil aliud docent, quàm nihil scire, nihil credere. Atqui, inquies, an non erat illud sapientis Socratis omnibus numeris

absolutum elogium, Hoc tantum scio, quod nescio? Bona verba quæso. Illud quidem quadrat rebus humanis, si quis modestiæ causa hoc dicat et agnoscat: in rebus autem fidei tantũ hoc abest ab honestate, ut vix cogitari poßit quicquam magis impium. Quæ enim impietas maior esse potest, si quis nec sciat nec credat, quæ ex incumbente officio & scire tenetur, & credere? Facessat hoc loco Socratis sapientia insipiens, vbi de fide credendisq; agitur: cedatq; sapientiori, qui ait, Nisi credideritis, non permanebitis. Cedant inquam tenebræ veræ luci, nẽpe Paulino dogmati, qui ait, Corde creditur ad iustitiam, ore autem confeßio fit ad salutem. Credere oportet omnes: credenda autem explicare & profiteri necesse est eos, qui de sacrorum dogmatũ interpretatione gloriãtur. Nam declinantes in obliquationes adducet dominus cum operantibus iniquitatẽ. &, Qui in minimo vacillat, statim corruet. Atqui facilius multo est in vnã tantũ partem declinantẽ sursum erigere, quàm in quã velis vacillantem stabilire. Sed cur ita nutantes variantésq; perseuerant in huiusmodi impietate perditißimi homines? Certè non ob aliam causam, quàm quæ à Psalmista recensita est, qui ait, Deum non inuocauerunt: illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor. Alioqui (vt idem ait) Si populus meus audisset me: Israel si in viis meis ambulasset: pro nihilo forsitan inimicos eorũ humiliassem. Quid autẽ sequitur?

nempe istud, Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis. Quibus & illud congruit, Nutantes transferantur filij eius, & mendicent. Tu igitur mi Godefride, cùm in hac arena desudes, vt ex priscis Græcorũ voluminibus iampridem delitescentem atq; retrusam eruas veritatẽ: vt iam cœpisti, perseuera: & totis ingenij viribus contende, ne quid deinceps latère sinas in vetustis Græcorũ exemplaribus, quod ad elucidandas perniciosissimas in fide controuersias suffragari possit. Spero non defuturũ cœlitus his tam piis conatibus numinis afflatum. Nam præter huius causæ incredibilẽ pietatem, nunquã tibi deerunt pientissimi patris Prioris (cuius orationibus obnixè cõmendari cupio) totiusq; Cartusianæ familiæ indefessa orationum suffragia. Porro quanta tu religiosissime pater indole ac eruditione monastici instituti fontem, primæuamq; originem ex venerandæ antiquitatis latebris erutam, orbi conspicuã feceris, quid attinet dicere? cùm nemo, qui tua scripta vel à limine salutarit, id aut ignorare, aut dissimulare queat. Id ego cùm mecum attentius considerarem: cœpi cogitare, siqua ratione in eo puluere ac sudore versanti suffragio aliquo adesse possem: vt scilicet adminiculum aliquod præberem florentissimæ nec non & frugiferæ vineæ monastici status: cuius vinũ profert virgines, quodq; deum lætificat & homines, & syncerae paupertatis cultores etiam

per taleta loqui facit. Videbā huic odoratiſsimæ & ſuccoſiſsimæ vineæ (quam vndequaq; noſtra ætatis vulpeculæ nihil aliud quàm demoliri & euertere curant) opus eſſe aliquo pedamento, cui veluti paxillo inniti poſſet. Eſt autem Cœlibatus therapeuticæ tam neceſſarius, quàm paxillus viti: quem hac noſtra ætate diſciplinæ monaſticæ oſores hoſtiliter inſectantur, vt eam ſaltē aliqua ex parte nutantē funditus euertant. Ego igitur pro cœlibatu tam ſacerdotali quàm monaſtico à nuptiariorū (quos Epicureos rectè appellaueris) iniuria vindicando, pro mea virili ſtudioſe (quoad fieri per me potuit) conatus ſum in arenam hanc deſcendere. Qua in re ſi quid promouerim, diuinæ gratiæ referatur acceptum: ſin minus, optem te tuiq; ſimiles (qua etiam infirmiora ſoletis) æquanimitate ſuſcipere. Tu igitur quicquid id eſt, boni conſulito: & par pari referre cupientē ea, qua ſoles benignitate, hilari fronte excipito. Per me interim valebis recta utriuſque hominis valetudine.

Ex Arboricenſi noſtro incolatu. 1 5 4 5.

Tuus, quē quoties deſiderabis, agnoſces tuis deſideriis implendis propenſiſsimum, Robertus diuino munere Arboretanus Epiſcopus.

AD LECTOREM PARACLESIS.

SCio non defuturos, hac potißimum contentiosissima ætate, plurimos candide Lector, qui mihi obnixè imploranti de his, quæ huic nostræ opellæ inspersa forsitan occurrent, erratis, veniam planè sint denegaturi. Idq́ue tetrici illius censoris Catonis exẽplo, qui cùm Græcè scripturientem virum Romanũ, Latinæ tantum linguæ peritum veniam petere intelligeret, vel ob id maximè quod atticismi se ignarum profiteretur, nec in ea lingua sufficienter eruditum, eum nec audiendum quidem pronunciauit, inquiens, à nemine fuisse cõpulsum, vt se in huius lapsus discrimen coniiceret, cùm eum nemo ad scribendum impulisset. In pari igitur causa, parẽ mihi expectandam esse sententiam promptum est suspicari, nisi eã quæ se conspicuam præbet obiectionẽ iusta aliqua defensione diluero. Fateor, Christiane lector, nullius me, priuato imperio, in hanc arenã tuendi Sacri Cœlibatus descendisse, pia tamen (& ea quidem publica) honestate ad id fuisse adactum, ac penè cõpulsum, quod scirem plerosq; vndecunq; obrepsisse Christianæ disciplinæ osores, & antichristianæ potius licẽtiæ, quã libertatis veræ christianæ assertores, speciem quandã pietatis præferentes, in eam partem esse propensißimos: vt scilicet nuptias sacerdotio iungendas, fucato

quidem, verum pestilentißimo errore existiment, quem etiã & velint & prædicent publica lege debere decerni. Quos ea ipsa nota inurẽdos haud dubiè crediderim, qua tertio Officiorũ Cicero Caliphonem & Dinomachum notandos censuit: Quo magis (inquiens) reprehendẽdos Caliphonem & Dinomachũ iudico, qui se controuersiam dirempturos putauerũt, si honestatem cum voluptate, tanquã hominem cum pecude copulassent. Huic albo inscribẽdos nemo dubitauerit eos, qui nuptiariorum sacerdotum gregem, hoc est, Epicuri de grege porcorum, turbam inconditam constituere atq; erigere tentant, vel ob eam maximè causam (si diis placet) vt scilicet saluti eorũ cõsulatur, qui frequentioribus carnis stimulis agitãtur. Sed quænam est ista pietas (vt Augustinus ait) impia: Quæ misericordia, immisericors: vni subuenire aut parcere, & multos in discrimen adducere? Nam quò tandem euadent, extincto sacerdote nuptiario, et vidua & eius liberi orphani? Neq; enim sacerdotiũ deuoluetur ad liberos, ad vxorem minus. Nihil igitur illis superesse vides, Lector oculatißime, nisi post sordidam atque infelicißimam vitam, desperationis laqueum. Vix suppetunt vndecunque eleemosynæ vel tenuißimæ alendis pauperibus, qui hodie omni ex parte scatent: qua igitur arte, qua industria ex coniugio sacerdotali in immensum dilatanda turba liberorum ali poterit aut foueri? Hoccine est, vni

parcendo, innumeros miseriæ & inediæ impatientes in desperationis barathrũ cateruatim immittere? Et id quidẽ minutulũ est, si reliqua cõsideres, quæ ex hoc vno semel admisso errore, scaturiunt incõmoda, quæ latius ac fusius in nostri axiomatis progressu explicata videbis. Hac ego ratione inductus atq; impulsus, ne hac in parte deessem imminenti ruinæ, fulcrũ aliquod ac veluti appendicẽ opponendã esse existimaui, vt tandẽ scires, Christiane lector, non tam scripturiendi libidine adactũ, quàm pia quadã necessitate impulsum, ad id operis me accinxisse. ne scilicet existimet aduersarius rei nuptiariæ malè feriatus patronus, deesse quid illi opponi possit: cùm scriptũ esse sciam, respondendum esse stulto iuxta stultitiam suã, ne sibi sapiens videatur. Habes itaque instituti nostri qualemcunque rationem: qua cognita, spero me si non ex animi beneuolentia gratiam, ex æquo saltem & bono veniam à te impetraturũ: diuinæ quod superest cætera clementiæ committo, cuius auxilium tuis precibus adiutus expeto & expecto. Vt ergo vno verbo omnia cõplectar: tibi persuadeas velim, me huic vni scopo intendisse, idq; potissimũ curasse: vt quã à patribus accepi ecclesiasticæ disciplinæ cum summa honestate coniunctã auctoritatẽ, sacrosanctã illã atq; ab omni iniuria tutã posteritati omnibus votis cõmendatam esse cupiam. Absoluto ad hunc modum præloquio, præstare superest quod pollicemur.

DE COELIBATV SACERdotum, & sacris initiatorum, ac monastico, aduersus Nuptiarios catholicum Axioma.



VO IVRE, NE DIcam iniuria (vt blasphemi aiunt) diuinó ne an humano sacerdotibus indictus sit cœlibatus, pronunciaturus, Christi Iesu nomẽ, ac numen appello & inuoco: vt ore domini consulto fœlicius ad veritatis lineam, honestique regulam dicendá succedant: quo etiam animis lectorum insidêre queat pura ac syncera veritas. Quod facile spero futurum, si oculos synceros, pectus defœcatum ista lecturus nobis attulerit: adeò pronum est & procliue veritatis causam protegere ac tueri. Pro qua etiam si tacuerimus, lapides ipsi clamabunt. Iam in ipso negocij vestibulo definitionibus aliquot nonnihil ad rem nostram facientibus viam parabimus, assumptis præloquiis, quæ statim per se, patebunt audita: si tamen controuersiæ statum constituerimus. Qui totus in hoc versatur, Rectène an perperam maiorum edicto indicta sit sacerdotibus continentia. Quam, qui hostiliter insectantur nostra ætate, legem non solum iniquam pronũciarũt, imo vero diabolicam, à satana ortam, detestabilem, erroneam, hypocriticam, impudentissimè declamarunt. Neque hoc scelere contenti, typis æneis excusam impiam declamationem vulgo visendam, lectitandamque tradiderunt Insuper & impium illud dogma aliquot vanis rationibus auctũ & fultum, auctius & locupletius reddere nullatenus erubuerunt. Aduersus huiuscemodi supplementum apologeticum ad præsens mihi res est. Rem igitur aggressuri, à definitionibus ordiemur. Primum quid lex, quid institutum, edictum, consuetudo, quid continentia, quid cœlibatus, definientes.

Lex, est recta in iubendo vetandoq; ratio. Alij ita de-

finiunt: Lex, est sententia, qua recta præcipiuntur, & mala vetantur. Gratianus ita: Lex, est scripta constitutio.

Institutum, est ius scriptum, quod tamen rectum habet authorem, quem reliqui imitari non erubescant.

Consuetudo, vsus eruditorum, bonorúmue consensus.

Morem ita diffiniunt: Est institutum pertinens ad religiones ceremoniásque maiorum. Aliter: Mos, est obseruatio, non lege, sed iudicio & opinione confirmata.

Plebiscitum, est quod plebs rogata statuit, atq; decreuit.

Edictum duplex est. Quoddam, quod omnes respicit, vel inuitos. & illud primaria obligatione obligat. Aliud edictum particulare seu conditionarium, ligans quidem, sed volentem, neque inuitum, neque omnes attingens, statui, non personæ necessitatem imponens. Et hac ratione duplex est obligatio. Primaria vna, relata ad personam. Secundaria altera, quę solùm vim habet obligandi ratione status.

Sequuntur prænotamenta, quibus admonitum cupio esse lectorem.

Primum.

Edictum de cœlibatu neque omnes tangit, neque inuitos. Item non personam respicit, sed conditionem & statū.

Secundum.

Lex inuitum tenet, ligat, stringit: Edictum de cœlibatu non nisi volentem, & sese mittentem in compedes.

Tertium.

Hoc edicto qui ligatur, non patitur iniuriam: quando scienti & volenti non fit iniuria, neq; dolus. Nec censetur dolum passus, nec iniuriam, cuius meliorata sit conditio.

Quartum.

Eunuchus Christianus symbolū habet cum eo, qui est natura vel violentia impotens, quoniam ferro exectus vti necessitate arcetur à concubitu, sic iste vinculo voti vel cōditionis. Nam de illis dicit Christus, Sunt eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum dei. Neque enim Pontifices eos, sed ipsi seipsos consensu fidéque præstita, fixo firmóque proposito, sibiipsis ius dicunt, se adstringunt: &, vt

ſic dicam,caſtrant ſeipſos propter regnum dei. Exemplum ſumito huius caſtitatis ab Agnete,quæ ait: Diſcede à me pabulum mortis: quia ab alio amatore pręuenta ſum, cui ſoli ſeruo fidem.

Quintum.

Chriſtiani, vt ſic dicam, ſpadones huic albo inſcribendi non ſunt:niſi quibus eſt iuris facultas denegata aſpirandi ad nuptias. Cæteri quidem caſti ſunt,at non ſe caſtrauerunt. Quòd enim ſe caſtrauerunt, hoc fuit voluntatis, non violentiæ. quando violentum eſt, cuius principium eſt foris: reliquum verò eſt neceſsitatis ſeu impotentiæ,non facti ſed iuris. Et hunc exiſtimo germanum ſacræ literæ ſenſũ: ad quem veluti ad ſcopum ſequentia referre conueniet. Hoc vnum per ſe ſufficeret ad obtundendam totam aciem rationum, falſò & ineptè contra cœlibatum inſtructarum: quandoquidem ſunt illis omnia tenui pendentia filo.

Sextum.

Nihil eſt tam conſilio humano relictum,tamque in hominis voluntate arbitrióque poſitum, modo illud honeſtũ ſit: quod non citra libertatis iniuriam cadere poſſit ſub obligatione: adeo non inter ſe pugnant neceſsitas ſibi legem dicere volentis,& arduus ille caſtitatis apex. Quid enim eſt homini tam liberum,cui tamen perſoluendo non ſe obnoxium reddat voto aſtrictus,vel iuramento? Audi nõ me, ſed dominum. Deutero. vigeſimo tertio, Cum votum voueris domino deo tuo,non tardabis reddere. Si nolueris polliceri,abſque peccato eris: ecce libertatem. Quod autẽ ſemel egreſſum eſt de labijs tuis(hoc ſi de re qualibet fiat honeſta)obſeruabis: & facies ſicut promiſiſti domino deo tuo, & ꝓpria voluntate,& ore tuo locutus es. Adde & illud Ecclesiaſtes quinto: Si quid voueris deo, ne moreris reddere. Diſplicet enim ei infidelis & ſtulta promiſsio: ſed quodcunq; voueris,redde. Vides quod vniuerſaliter loquatur,nihil excipiens, neque ipſam quidem caſtitatem perpetuam. Ita enim ſe caſtrauerunt voto aſtricti, vt non ſit eis integrum reſilire,ſicut neque caſtrato per naturam rei vxoriæ operã dare. HIS Iactis fundamentis, pronum eſt & procliue aduerſæ aciei vim & impetum fundere penitus ac fu-

gare. Hac via obturabuntur ora loquentiũ iniqua. Et quẽadmodum Aquilo dissipat nubes, ita huiusmodi consideratio facile euertet linguam continentiæ detrahentem. Vti ergo natura impotens est naturalis eunuchus, ita ex perpetuo consensu euangelicus rei vxoriæ nullatenus operã dare potest.

Pronunciatum septimum.

Conducturus ad opus aliquod peragendum obuios quosque mercenarios dominus, quam volet conditionem, (iusta modo ac honesta fuerit) proponere potest. quam qui propositam receperit, implere teneatur. Qua semel recepta, nullus est resiliendi locus. Alioqui auditurus est refractarius tergiuersator: Nõne ocul⁹ tuus nequã est, quia ego bonus sum? nõnne possum facere quod volo de rebus meis? Qui autem dixerit iniquam fuisse latam de cœlibatu conditionem: impingit in sponsum, eiusque immaculatam spõsam ecclesiam, vt qui ausu temerario & impio dicat ecclesiam ita statuentem in fide errasse & moribus. Proinde qui talis est, pro hęretico haberi debet. Vt ater ille Melãchthõ, qui nomine réque niger est, quem tu Romane caueto. Id enim iubet qui ait, Hæreticum hominẽ post primã & secũdam monitionem deuita.

Aliud pronunciatum.

Non in lege tantum gratiæ, imo vero & ante Christi aduentum, emersit certa aliqua professio virorum, qui sibi quisque successoribus perpetui cœlibatus legem indicerẽt, atque imponerent. Qui Iosepho oculato testi, Plinio vero aurito tantum Essæni dicti sunt. Verba Plinii referam lib. 5. cap. 17. Ab Occidente littora Essæni fugitant vsque quà nocent, gens sola, & in toto orbe præter cæteras mira, sine vlla fœmina omni Venere abdicata, sine pecunia, socia palmarum. In diem ex æquo conuenarum turba renascitur, largè frequentantibus, quos vita fessos, ad mores eorum fortunæ fluctus agitat. Ita per seculorum milia (incredibile dictu) gens æterna est, in qua nemo nascitur. Tam fœcũda illis aliorum vitæ pœnitentia est. Infra hos Engadda oppidum fuit, secundum ab Hierosolymis fertilitate, palmetorumque nemoribus: nunc alterum bustum. Inde Mesada

castellum in rupe,& ipsum haud procul ab Asphaltite. Et hactenus Iudæa est. Hæc ille.

Non igitur nouitia res est apud certam hominũ conditionem cœlibatus professio. Quódq; magis mireris,cõmendatur à Iosepho(& quidem amplissimè) Essæorum, (Essænos alij vocãt)contubernium, vel hoc vno potissimũ nomine,quòd cœlibatum syncerè semper atq; illibatè obseruent.Cuius verba ex lib.2.belli Iudaici,cap.7.huc afferenda censui. Tria(inquit ille) apud Iudæos sunt genera philosophię. Horum vnum Pharisæi profitentur, alterum Sadducęi,tertium vero (quod etiam probabilius habetur) Essæi colunt,gente quidem Iudæi, verũ inter se mutuo amore coniunctissimi: & qui præter cæteros, voluptates quidem quasi maleficia vitarent:continentiam vero seruare,neque cupiditati succumbere, virtutem maximam ducerent.Itaque nuptias quidem fastidiunt, alienos vero filios, dum adhuc molles sunt, eruditioni traditos, pro cognatis habentes,suis moribus diligenter instituunt. Non quia cõiugia vel humani generis successionem censeãt perimendam:sed quia cauendam putent intemperantiam fœminarum,nullam earum vni viro fidem seruare credẽtes. Quin & diuitiarum contemptores sunt,rerúmque apud eos communicatio admirationi habetur,neque inuenias alteri alterum opulentia præstare.Legemque sibi dixerunt,vt qui disciplinam suam sectari vellent,bona contubernio publicarent.Ita enim fore,ne vel paupertatis humilitas,vel diuitiarum dignitas appareret:sed permixtis facultatibus, velut inter fratres,vnum esset omnium patrimonium.Probro autem ducunt oleum,& si quis vel inuitus vnctus fuerit,munditijs corpus abstergere,quoniam squalorem decorem putant,dummodo semper in veste sint candida. Designatos autem communium rerum procuratores habent,& ad vsus omnium singulos,indiuisos. Non est autem illis vna ciuitas certa,sed in singulas multi domicilia transferunt,& aliunde aduenientibus sectæ suæ professoribus,quicquid habeant promptum,exhibent quasi proprium. Denique tanquam consuetissimi ad eos ingrediuntur,quos nunquã antè viderunt.Hinc est quia cum peregrinantur, propter latrocinia tantùm armantur: neque præterea quicquam fe-

runt. In singulis autem ciuitatibus, ex eodem collegio specialis curator hospitum constituitur, qui eorum vestimenta cæteráque vsui necessaria tueatur. Amictus autem cultúsq; corporis, omnibus pueris, in metu & sub cura magistri agétib⁹ par est. Nec vero vestitű siue calceos mutát, nisi aut omnino conscissis prioribus, aut longi temporis vsu consum ptis. Nihil autem inter se mercantur aut vendunt, sed egenti quisq; quod habet præbēs, refert ab eo quod ipse nō habet: quamuis etiam sine permutatione cunctis libera sit facultas, à quibus libuerit accipiendi quod opus sit. Præcipuè circa deum religiosi sunt. Nanque ante solis ortum nihil prophani loquuntur, sed ei patria quædam vota celebrant, quasi vt oriatur precantes. Deinde ad quas venerunt singuli artes, à curatoribus dimittuntur. Cumq; ad horam quintam studiose fuerint operati, rursus in vnum cōgregantur. Linteísque præcincti velaminibus, ita corpus aquis frigidis abluunt. Atque hac lustratione facta in eadem secreta coeunt, quo neminem alterius sectæ hominem aspirare concessum est, ipsique purificati, velut in sanctum quoddam tēplum in cœnaculum veniunt: quibus ibi cum silentio residentibus, pistor quidem panes ordine: vnum autem vasculum ex vno pulmento singulis coquus apponit. Deinde voce cibum sacerdos anteuenit. neque gustare quenquam fas est, nisi prius deo celebretur oratio. Post finem quoque prandij vota repetunt. Nam & cum incipiunt, & cum desinunt quasi datorem victus, deum laudibus canűt.

Tunc veluti sacris illis depositis vestimentis vsque post meridiem, ad opera se conferunt. Similitérque inde reuersi cœnant, consedentes etiam hospitibus, si quos fortasse interuenisse repererint. Neque vero clamor vnquam tectum illud neque tumultus inquietat cum etiam loquendi ordine alijs alii cedant. eorumque silentium extra tectum constitutis, arcanum quoddam videatur horribile. Cuius quidem rei perpetua sobrietas caussa est, quódq; apud eos edēdi aut potandi modus saturitate diffinitur. Sed quamuis aliquarum rerum nihil sine præcepto faciunt curatoris, tamen in his duobus, hoc est in iuuando & miserendo, sui iuris sunt. Nam & subuenire dignis, cum opus est suo arbitrio, cuique licet, atque indigentibus alimenta porrigere.

Sane cognatis dare aliquid sine curatoribus, interdictum. Iidem iracundiæ moderatores iusti sunt, indignationem cohibent, fidem tuentur, paci obsecundant: & omne quod dixerint, iureiurando fortius habent. Ipsum autem iusiurandum quasi periurio deterius vitant. Iam enim mẽdacio condemnatum arbitrantur, cui sine deo non creditur. Summum autem studium veterum scriptis adhibent, ea maximè inde, quæ animæ & corpori expediant, eligentes.

Hinc illis morborũ remedia, stirpes medicæ, quamq; vim propriã singuli lapides habeant, à rimantibus conquiruntur. Sectę vero suæ studiosis non statim cum eis vna collectio: sed per annum integrum extrinsecus commoranti, cuique eundem victus ordinem tribuunt: dolabram quoq; & quod prædictum est perizoma, & albam vestem tradentes. Cum vero processu temporis experimentũ continentię dederit, accedit etiam ad communem cibum, & purioribus, ob castificationem scilicet, aquis participat, neque tamen in conuictum assumitur. Post ascensionem quippe cõtinentię, duobus annis aliis mores eius probantur. Cumq; dignus apparuerit, tunc demum in consortium assumitur. Prius vero q̃ incipiat cõmunem habere cibũ, magnis execrationibus adiurat se primũ quidẽ colere deum, deinceps quoq; erga homines seruare iustitiã, & neq; propria sponte nocere cuiq̃, neque ex præcepto obesse, quinimo iniquos omnes odisse, & collaborare sẽper iustitię sectatorib⁹, fidẽ omnibus seruare, maximè vero principibus. Neque enim absque voluntate dei, quenquam posse ad principatus potentiam accedere. Si vero ipse cæteris præsit, nunquam abuti, nunquam se abusurum viribus potestatis ad contumeliam subiectorum, sed neque veste aut ambitioso aliquo ornatu reliquis eminere: veritatem semper diligere, & habere propositum conuincere mentientes. Manus vero à furto, & animam puram seruare ab iniustis compendijs, & neque aliquid de mysterijs consecrarios celare. Neq; prophanis eorum quippiam publicare, etiam si intentata quispiam morte compellat. Super hęc autem addunt, nihil se de dogmatibus aliud quàm ipsi susceperint, tradere. Fugere autem latrocinia, & conseruatum iri similiter dogmatis sui libros: angelorum nomina his quidem execratio-

nibus explorãt,& quasi præmuniunt accedẽtes. Hæc ille.

Neque his contentus adiungit: Viuunt autem quàm longissimè propter simplicitatem scilicet victus, quod eis nimirum accedere puto propter institutionem bene in eis ordinatam. Quorum etiam in aduersis constantiam, supra communem cæterorum aleam, miris laudibus attollit idem Iosephus: Prodidit (inquit) eorum in omnibus negotijs animos, bellum quod gestum est cum Romanis. Tunc siquidem per artuum confractiones, & ignes, ac per tormẽta omnigena transeuntes, vt videlicet vel in legislatoris aliquid loquerentur iniuriam, vel ciborum quippiam quod non solent, ederent, ad neutrum horum potuerunt compelli: sed neque deprecàri suos tortores, aut inter ipsa flere supplicia: in medijs quinimo cruciatibus subridentes, & eis qui tormenta admouerant, illudentes, constantes animos cum quadam hilaritate reddebant, scilicet quasi qui eos essent denuo recepturi. Hæc ille.

Hic mihi vide quis Apelles, aut si quis Apelle proferri potest artis pictoriæ obseruantior, veris ac viuis coloribus aptius conuenientiúsue suam depingere queat imaginem, quàm author iste Essænorum continentissimos mores, per singula pene lineamenta ad viuum depinxit. in his enim cernere est vniuersam Therapeutices panopliam suis absolutissimè coloribus ornatam. Et hinc quis nõ in promptu colligat vitæ monasticæ formulã tam abesse à nouitio inuẽto, vt Euãgelicæ etiã legis tempora transcendat? Erubescat igitur frons perfricta Bucheri, quod futurum mihi facile persuaderem, nisi ad solam impudentiam nata videretur.

Atqui in Pharisæis aut Sadducęis non pauca circa eorum dogmata se offerunt, quę merito reprehẽdas, vt qui Christi Domini censurã (& eam quidẽ acerrimã) nõ effugerint. Essæos autem malè aliquando audisse, Christoque fuisse infẽsos, nusquã reperias. Vides igitur vt nec priscis ãte Christũ temporibus defuerint frequentissima hominum contubernia, quæ cœlibatum inconcussa obseruatione coluerint.

Aliud pronunciatum.

Liberum fuerit selectæ alicui virorum communitati certas aliquas, à se, suisque posteris obseruandas, indicere leges. Cuius generis sunt innumera toto orbe

Chriſtiano diſperſa ſodalitia. Viſum itaque eſt, & id quidem iuſtiſsimè, priſcis Eccleſiæ Patribus, vnam aliquam ſtatuere profeſsionem hominum ſelectorum, qui quod reliquum eſſet vitę, ſacro Cœlibatui perpetuo deuouerent. Et hi ſunt qui ad ſacra tractāda propius accedūt. Iam quid ſtupidius aut dici poſsit, aut cogitari, ſi quis oblata conditione neglecta, ſpretoque onere velit ambire honorem? Quaſi vero ſeruus legem imponat domino, non dominus ſeruo. Audiendus itaque eſt in ea re diuus Auguſtinus, qui vt Diſtinct. 4. recēſetur, cap. In iſtis, ſic ait, In iſtis tēporalibus legibus quanquā de his homines iudicent, cùm eas inſtituunt, tamen cùm fuerint inſtitutæ & firmatæ, non licebit iudici de ipſis iudicare, ſed ſecundum ipſas. Hæc ille.

Nouiſsimum ex Hilarij ſententia præloquium.

Dictorum ratio ex cauſis eſt aſſumenda dicendi. Neq; enim ſermoni res, ſed rei ſermo debet eſſe ſubiectus.

His, quæ preloqui oportuit, præmiſsis, in rem præſentem veniamus.

Legem de perpetua caſtitate ſeruanda, ex ſacris ſcripturæ fontibus hauſtam demonſtrare.

PErpetui Cœlibatus inſtitutum non tam humanitus adinuentum, q̄ ex diuinis fontibus hauſtum deriuatumq; vtriuſq; organi pagina demōſtrat, veteris ſcilicet ac recentioris: potiſsimumque euangelica & apoſtolica doctrina rem ipſam, quod dicitur, acu demōſtrat. Quid enim apertius perſeuerantis ad mortem vſque virginitatis exemplum oſtendit, quàm intemeratæ ſemper Virginis manifeſta profeſsio, qua ſe perpetuo integritatem ſeruaturam ingenuè profiteretur, dum ait, Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Quibus verbis non in præſens tantum, verum & in poſterum viri copulam ſe negat habituram. Nam ſi diceret, Virgo ſum, & omnis copulæ virilis expers: illud non ſatis impleret literæ ſenſum. Nam audire potuiſſet, Non eſt mirum, ſi nondum cognoueris mox viri copulam expertura, ac deinde ſuſceptura prolem. Dicit ergo ſe ex profeſſo in futurum carnalis copulæ expertem. Id quod pulchrè tradit Gregorius Niſenus, hæc ſcilicet vir-

ginis verba indicare futuræ virginitatis tenax propositum. Nam si copula coniugali Ioseph desponsari voluisset,cur admiratione ducta est,dum sibi narratur futura cóceptio,cùm mox posset effici mater iuxta legis naturã, nisi obstaret futuri propositum cœlibatus? Nunc autem humanitus impossibile probat maternitatem futurã, vel ob id maximè,quod etsi Ioseph sponsum agnoscat, nunquam tamen se virum cognituram declarát. Iam enim super sua virginitate statuerat,cùm necdum sibi sponsum delegisset: vnde & maternitati virginitatem opponit. Mox autem vt audiuit superuenturum numinis afflatum,quis non intelligat decretum seruãdæ virginitatis altius increuisse? Fuit ergo in deifera matre perpetuæ virginitatis institutũ.

Hanc verborum intelligentiam agnoscit Diuus Bernardus his verbis,Cum sciat dominus meus testis conscientiæ meæ votum esse ancillæ suæ non cognoscere virum: qua lege,quo ordine placebit ei vt fiat istud? fiat nihilominus voluntas eius. Hæc ille. Cui & Beda consentit, dum ait, Quomodo,inquit Maria, fieri potest, vt concipiam, pariamque filium, quæ in castimonia virginitatis vitam consummare disposui? Hactenus Beda,Augustini sententiam imitatus,qui libro De sancta virginitate cap. quarto sic ait, Priusquam conciperetur(subaudi Christus) iam deo dicatam, de qua nasceretur, elegit. Hoc indicant verba,quæ angelo Maria reddidit, Virum non cognosco. Quod profecto non diceret, nisi deo virginitatem antea vouisset. Sed ideo desponsata est viro iusto custodituro,quod illa iã vouerat. Hæc Augustinus: Quis iam hoc perpetuæ virginitatis votum non diuinitus potius dilapsum,quàm humanitus dicat adinuentum? Hoc certe verbum, Non cognosco,non tam virilis copulæ negat actum, quàm perpetuæ continentiæ indicat propositum. Hoc ipsum non obscurè recenset cap.Beata Maria xxvii. quæst. secunda. Quomodo enim ipsa perpetuæ virginitatis candorem, quem cæteræ virgines sponte domino obtulerunt,vna præ cæteris deo non deuouisset, cùm scriptum sit, Adducentur regi virgines post eam, proximæ eius afferentur tibi in lætitia & exultatione? Nec obstat coniugij cum Ioseph fœdus initum,cùm de partium consensu feliciter ob-

ſeruari poſsit ſacer iſte cœlibatus: vt abunde docet Cardinalis de Turre Cremata eo loco. Nam cùm matrimonium ſit traditio poteſtatis corporis in vſum copulæ, ſi petatur, & oraculo certior effecta fuerit virgo beata, nunquã repetendum copulæ carnalis vſum: in nullo ſecum pugnabant & coniugij fides, & perpetuæ candor virginitatis deo deuotæ ac dicatæ, cum etiam (quod fortius eſt) & virginitatis honor, & geniture prouentus ſeſe mutuo amplexati ſint. Quod quidam hoc carmine recenſuit,

Partus & integritas, diſcordes tempore longo,
Virginis in gremio fœdera pacis habent.

Ita vt hæc ſecum merito aſſeueranter dicere potuerit,

Sum quod erã, nec erã quod ſum, nunc dicor vtrunq;.

Manſit enim quod erat, nempe virgo: nec erat quod eſt, videlicet mater: nunc vtrunque dicitur & virgo & mater. Quandoquidem, vt Iſidorus ait in cap. Coniuges, eadem cauſa & quæſtione, coniuges verius appellantur à prima deſponſationis fide, quanuis adhuc ignoretur inter eos coniugalis concubitus. Et vt Chryſoſtomus ſentit, Gratiano recẽſente in cap. Matrimonium, Matrimonium non facit coitus, ſed volũtas. Item & Ambroſius, dum virginem inſtituit cap. ſexto, Non defloratio virginitatis facit coniugium, ſed pactio coniugalis. Id quod manifeſte conſtat de Adam & Heua, de quibus necdum inita copula carnali dictum eſt, Quos deus coniunxit, homo non ſeparet. Sed hæc parerga. Huc ergo omnia ſpectãt, vt intelligamus deiparam ſemper virginem perpetuæ virginitatis decus, inſignemque triumphum deo deuouiſſe, cùm diceret, Virum non cognoſco, hoc eſt, me perpetuo non cognituram virũ decerno. Nec enim ſatis dixeris, Non cognoui: ſed omnino, Non cognoſco. Id quod Eraſmus agnouit, dicens, magis impleri ſenſum ſcripturæ, ſi legatur, Non cognoſco: vt & ipſa Græca exemplaria monſtrant. Ambroſius tãetſi videatur legere, Non cognoui: apertiſsime tamẽ in hanc recidit ſententiam, cum dicat Mariam credidiſſe futurum, vt virgo pareret, non tamen legiſſe quomodo id fieret. Quod cum ita ſe habeat, quid aliud intelligitur, quàm deſeruanda etiam in poſterum virginitate tenax fixúmque propoſitũ? Dum enim vidit ſe virginem parituram, quid aliud quàm

virginitatem suo animo præfixit? Proponebat igitur se nũquam virum cognituram. Vides, vt nostro proposito mirè alludit & arridet germanus literæ sensus. Huius autem perpetuæ virginitatis in voto & effectu perseuerantiam luculenter aperit Diuus Ambrosius sexto cap de institutione virginis, Dilectus, inquit, domini vt maternæ virginitatis perseuerantiam suo comprobaret iudicio, quasi filius de matris pudore sollicitus, ne quis eam tanto conuicio temeratę integritatis aspergeret: dignum quippe erat, vt qui latroni veniam donabat, matrem dubio pudoris absolueret. Dicit ergo ad matrem, Mulier ecce filius tuus. Dicit & ad discipulum, Ecce mater tua. Ipse est discipulus, cui mater commendabatur. Quomodo marito vxorem tolleret, si fuerat Maria mixta coniugio, aut vsum tori coniugalis cognouerat? Hoc autem ad perpetuæ propositum virginitatis pertinere non obscurè demonstrat Ambrosius esse, cum ad Eusebium scribat, eum commendans, quòd Ambrosiam filiã perpetuo virginitatis voto addixerit, huiusmodi institutũ confirmans authoritate Apostoli priore ad Corinthios 7. Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis: & hoc iudicauit in corde suo seruare virginem suam, bene facit. Si ergo cõmendatur, qui alium deuouet: quanto laudabilius agit, qui se perpetuo tradit obsequio? Et alio loco ait idem Ambrosius, Hæc est Maria, quæ nobis non solum virginitatis incentiuum attulit, sed etiam deum intulit. Vnde lętus & exultans tanto munere dicit Esaias, Ecce virgo concipiet, & pariet filium. Christus per hanc vnam descendit, sed multas vocauit. Egregia igitur, quæ signum sacræ virginitatis extulit, & intemeratæ integritatis pium Christo vexillum leuarit. Hæc ille.

Aliud prætere ex huius intemeratæ virginis exemplo se nobis conspicuum præbet documentum, quo delirantiũ error exploditur: qui aiunt neminem posse suam deo vouere virginitatem, nisi qui certo fuerit edoctus oraculo, quo constet se in ea perseueraturum. Sed & hunc virgo beata elidit errorem: quæ necdum oraculo admonita perpetuæ sese addixerat virginitati, futuri euentus nondum præscia: aliàs non fuisset turbata in sermone angeli, secũ cogitans

quænã foret ista salutatio. Ideoq; August. ait, Proposuit se perseueraturam virginem, nisi aliter deus ei reuelaret, cõmittens virginitatem suam diuinæ dispositioni.

Docet & hoc Annæ matris Samuelis facinus egregiũ, quæ ita futurã, si quam deus cõcederet, prolẽ perpetuò deuouit, vt domino perpetuò deseruiret. Quo exẽplo promptissimũ est suũ domino polliceri cœlibatum, si votis aspirare dignetur. Sic& baptismali voto omnes pollicemur nos abrenunciaturos diabolo, & omnibus põpis eius. Quæ res & futura, & non nisi diuino præstari potest auxilio. Si igitur nemo vouere poterit, quod vel à futuro pẽdet vel à subsidio externo: nemo ex voto aliquod aggredietur opus, nec pœnitens abstinentiæ rigorẽ, nec diues eleemosynam, nec religiosus animo conceptã polliceri audebit orationẽ: imo nec aliquod opus bonũ, cum scriptũ sit, Sine me nihil potestis facere. & illud, Omnia opera nostra operatus es in nobis. Vouere igitur possumus, quæ ex nobis exequi nequaquã valemus. Pollicemur deo fidẽ nostrã, quæ tamẽ donum dei est. Nam dominus si quod habet, non vult: quæso, quid accipiet? Denique sicut à deo petimus panem nostrũ, ita illi promittimus donum suum, & futurã in castitatis aut abstinẽtiæ proposito perseuerantiã, etiam citra futuri euẽtus oraculũ. Ad hoc enim sufficit bona mẽs cum diuini imploratione auxilij. Nam qui cœpit, ipse pficiet bonũ opus. Quot enim hominũ milia de deo bene sperãtia citra diuinũ oraculũ quę humiliter vouerãt, fideliter pręstiterũt? D. itẽ Paulus in Corinth. 1. epistola cap. 7. satis supq; ostendit minime expectandã sup futura perseuerãtia apocalypsim, priusq̃ deo deuoueatur virginitas, cum oẽs velit esse sicut seipsum. At non ab omnibus exigendã cẽset reuelationem. Quis enim credat oĩbus ad pfectionẽ tendẽtib⁹ reuelatiõe opus esse? Quin & de virgine satis esse ducit, si potestatẽ habeat suę volũtatis: & hoc iudicat in corde suo, vt seruet virginitas. Spõtanea volũtas hic exigĩt cũ humili imploratiõe, de oraculo expectãdo nulla mẽtio. Itẽ, Beatior erit, si sic pmãserit virgo: non dicit, recepto prius oraculo. Illud certe constat, quòd fidelis dominus non sinet nos tentari vltra id quod possumus: sed faciet in tẽtatione pventũ, vt possimus sustinere. Illud nobis oraculum instar omnium esse debet.

Amplectendum potius diui Augustini consilium, qui vigesimonono de virginitate ait: Præsumite, fidite, roboramini, permanete, qui vouetis & redditis domino deo vestro vota perpetuæ continentiæ, non propter pręsens sęculum, sed propter regnum cælorum. Nemo, inquam, diffidat, cũ scriptum sit apud Esaiã quadragesimooctauo: Qui sperant in domino, mutabunt fortitudinem: assument pennas sicut aquilæ: currẽt, & nõ laborabunt, ambulabũt & non deficient. Christus itẽ ait: Omnia posibilia esse credẽti. Et Paulus, Omnia, inquit, possum in eo qui me cõfortat Christus. Iam quid illi satis esse posit, cui isthæc minus sufficiẽt oracula? Bona igitur mente, & humili oratione opus est: quãdo oratio humiliantis se, nubes penetrat: nec quiescit, donec appropinquet: nec consolabitur, donec acceperit. Hæc est, quæ vincit inuincibilem, & ligat omnipotentem. Qui & ipse ait: Si vos, cum sitis mali, nostis bona data dare hominibus: quantò magis pater vester cælestis dabit spiritum bonum petentibus se? Qua de re ita Hieronymus: His datum est, qui à deo petierunt, qui voluerunt, qui vt acciperent, laborauerunt. Vt autem ait Chrysostomus, Ideo non omnes capere possunt, quia non omnes volunt. Palma proposita est: qui concupiscit gloriam, non cogitet de labore. Hoc auxilium gratiæ volentibus nõ denegatur. dicit enim dominus: petite, & accipietis. Hoc igitur vno deiparæ virginis exemplo perpetua stabilitur integritas, & noxia eliditur falsitas.

Nunc ex alio euangelii loco superest stabilire perpetuum virginitatis votum. Matthæi videlicet decimonono Christus ait: Sunt eunuchi de matris vtero sic nati: sunt, qui ab hominibus facti sunt: & sunt, qui se castrauerũt propter regnum cælorum. Hic euangelicus locus omni solidior Adamante (si quis alius) in hoc pronunciatus videtur ad fundandum perpetuę virginitatis institutũ. Quis enim est spiritualis ille eunuchus, nisi qui (cùm natura potens sit) voto à se exemit omnem libidinis amplexandæ facultatem? At nemo ex omnibus est, nisi qui voto perpetuæ se addixit castitati. Huic certè intelligentiæ omnes ad vnum ecclesiæ proceres conspirant, atque consentiunt. Diuus Hieronymus sic ait: Tertii sunt, qui se castrauerunt propter regnũ

cælorum: qui cùm possint esse viri, propter Christum eunuchi fiunt. Hic certè (vt ita dicam) eunuchismus omnem libidinis actum in posterum adimit. vt quod natura facit in altero, in isto faciat voluntas. Ait enim Chrysostomus: Qui se castrauerunt, non membrorum dicit abscisionem, sed malarum cogitationum interemptionem. Verùm vtrobique implicita est necessitas quædam: vna ex natura, altera ex tenaci firmóque proposito. Consentit Origenes ita inquiens: Magna res propter regnum dei suscipere eunuchizationem, quod non capiunt omnes, sed quibus datum est. Datum est autem omnibus, qui huiusmodi sibi gladium petunt à deo. Atqui gladius iste nihil aliud est, quàm voto firmatum propositum perpetuò abstinendi à venereis. Diuus Ambrosius in hoc euangelico pronunciato stabiliendæ virginitatis proram puppimque constituit lib. de virginibus tertio: dum initiatas sacris mysteriis & consecratas integritati puellas nubere prohibet: negans hoc esse improbum, vel nouum, vel inutile. Nam si esset improbum, ergo improba essent vota omnium, & improba forent ea, pro quibus præmia constituta sunt. Sed neq; nouū. Christus enim integritatem hanc docuit in spadonibus, qui se castrauerunt propter regnum cęlorum. Itaque, inquit, iam tunc dominus docuit esse debere intemerata studia castitatis. Vnde & apostoli eam cæteris præeminere cernentes, dicebant: Si ita est causa viri cum vxore, non expedit nubere. Quo dicto & grauiora iudicarunt onera vinculi coniugalis, & veræ integritatis gratiam prætulerunt. Post hæc ita colligit: Est ergo cælesti voce probata virginitas, dominicisq; expetenda præceptis. Verùm quia nonnulli sunt, qui huiusmodi votum non facilè admittant, nisi in grandæua iam ætate caducis: huic errori ita obuiat Ambrosius: Non abnuo, inquit, sacerdotalis esse cautionis debere, vt non temerè puella veletur. Spectet planè, spectet ætatem sacerdos, sed fidei vel pudoris. Spectet & maturitatem verecūdiæ, examinet grauitatis caniciem, morum senectam, pudicitiæ annos, animos castitatis: deinde si matris tuta sit custodia, comitum sobria sedulitas: si hæc præsto sunt, non deest virgini longæua canicies. Si hæc desunt, differatur puella tam moribus quàm annis. Non ergo ætas reiicitur

florentior,ſed animus examinatur. At certe Theclam non ſenectus,ſed virtus probauit. Et hinc quid plura contexam, cùm omnis ætas habilis deo, perfecta ſit Chriſto? Denique non virtutem ætatis appendicem dicimus,ſed virtutis ætatem. Nec mirere in adoleſcentulis profeſsionem, cum legeris in paruulis paſsionem. Scriptum eſt enim: Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem. An dubitamus,ſi eũ vſque ad continentiam ſequatur adoleſcentia, quem vſque ad mortem confitetur infantia? Et quaſi incredibile putamus,ſi puellæ nubiles Chriſtum ſequantur ad regnum,quẽ etiam pueri ſequebantur in deſertum? Sicut legimus, quia ſaturata ſunt de quinque panibus quatuor millia hominum: exceptis,inquit,pueris & mulieribus. Nolite ergo à Chriſto arcere infantes: quia & ipſi pro Chriſti nomine ſubiere martyrium. Talium eſt enim regnum cælorum. Vocat eos dominus,& tu prohibes? De ipſis enim dominus ait: Sinite eos venire ad me. Nolite aduleſcentulas arcere, de quibus ſcriptũ eſt: Propterea adoleſcẽtulæ dilexerunt te nimis, & introduxerũt te in domũ matris ſuę. Hęc ille. Quæ idcirco longiùs protracta recenſui, vt diſcant, ſi queant erubeſcere Epicuri de grege porci: qui omnes ordines, gradus, ętates, ab amplectendæ caſtitatis deſyderio impudentiſsimè abſterrent. Quos aptiſsimè depinxit Sapiens, dum ait: In via ſtultus ambulans,cum ipſe inſipiens ſit,omnes ſtultos æſtimat. Qui potius anteſignanum noſtrum Chriſtum imitantes,inuitare debuerant ad præmium: vt præfecti ſuos milites ad ardua inuitant, dicendo, Qui poteſt capere, capiat: hoc eſt,tametſi non omnes ad hæc ardua aſſurgant,ſe tamẽ quiſque excitet periculum facturus, an rem tam inſignem aſſequi poſsit. Dicit autem,Qui poteſt capere: vt à deo potius expectemus auxilium,quàm de virium noſtrarum menſura. Non enim ſumus ſufficientes ex nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex deo eſt. Capere igitur monemur, non præſtare hoc egregium margaritum: facilius autem eſt capere ab eo qui offert,& nos inuitat vt petamus,quàm ipſi ex nobis præſtare valeamus. Vt autem hic vela complicemus, non obſcurè monſtratum eſt in his Chriſti verbis nobis proponi perpetui cœlibatus indiuulſum propoſitum, qui ſcilicet eunuchus ſpiritualis à ſe abdicat omnem libidi-

nis nedum vſum, imò etiam facultatem, iuriſque ſi non facti poteſtatem. Nam eunuchiſmus iſte neceſsitatē dicit nō naturæ, ſed obligationis. Hos nimirum euangelicæ legis eunuchos euangelicus & ipſe propheta Eſaias futuros pronunciauit quinquageſimoſexto cap. ita inquiens: Non dicat eunuchus, Ecce ego lignum aridum: quia hæc dicit dominus eunuchis, Qui cuſtodierint ſabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meũ: dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus. nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit. Quibus verbis, ſiquibus aliis, deſignantur caſtitatem ſuam deo deuouētium apud deum repoſita præmia. Nam de his maximè doctores ſacri hæc verba intelligi volunt. In quibus eſt Ambroſius de virginitate. Quorum etiam ordo cōmendatur ab eodem Eſaia quinquageſimoquarto. Cui & Paulus ſuccinit quarto ad Galatas cap. Lætare ſterilis, quæ non paris: ordo videlicet continentium eorum, qui ex profeſſo cœlibatum ſeruant. Erumpe, & clama, quæ non parturis, quia multi filii deſertæ, magis quàm eius quæ habet virum. Nam vt Hieronymus ait: Virginitas replet cælum, & humana connubia terram, & ex cœlibatu innumera prodiit ſpiritualium ſoboles puerorum. Nec enim ſuis eunuchis caruit veterum patrum priſca ætas, plurimum alioqui coniugio & proli ſuſcipiendæ intenta. Habuit enim ſuum Abelem, cuius virginitatis candor roſeo martyrii ſanguine aſperſus, in futuras retrò generationes triumphat, dum iuſti meretur epithetum ab ipſa veritate pronunciatum, dum ſanguinem Abel iuſti appellat, quod nomen excellentius eſt à filiis & filiabus. Quid quòd ex virgine terra primus parens prodiit, ex cuius etiam virginis coſta prima omnium mater Heua emerſit. Huic ſucceſſere poſteriores cœlibes. Ioſue, de quo ſic ait Hieronymus aduerſus Iouinianum: Oſtende mihi Ieſum Naue vel vxorem habuiſſe vel filios. quod ſi monſtrare potueris, victum me eſſe fatebor. Nazareus Senſon vel hoc vno titulo poſteritati commendatur, niſi hoc laudi eius detraxiſſet, magna parte honoris adempta, quòd vxorius plus æquo factus eſt hoſtium præda. Contrà verò hoc ad gloriæ cumulum acceſsit in filia Iephthæ, quòd hinc virgo migrare

potuerit. Quo nomine congaudendum illi potius erat, quàm dolendum, quando (vt Hieronymus ait) nuptiæ finiuntur morte, virginitas post mortem incipit coronari.

Huic catalogo inscribendi sunt Helias & Helisæus, etiam si rumpantur ilia stupido Iouiniano. Ioannes enim Baptista in sua virginitate perdurauit, quem Christus dominus venisse asserit in spiritu & virtute Heliæ: sed neque dissimili corporis integritate ac puritate. Hic autem nemo dubitauerit innumerum prophetarum chorum, qui sub Heliæ atque Helisæi signis militabant, abiecta re vxoria & familiaribus curis, imò nec eis vel de limine salutatis, cœlibatum diligentissimè coluisse, cum Ioannes Baptista fuerit Heliæ viuum quoddam simulachrum, Helisæus vero seueræ semper abstinentiæ antesignanus fuerit. Quid memorem Hieremiæ prophetæ deo dicatam ab vtero purissimam castitatem? De quo Hieronymus in prologo, fuit Anathotites, qui est vsque hodie vicus tribus ab Hierosolymis distans milibus: Sacerdos ex sacerdotibus, & in matris vtero sanctificatus, virginitate sua euangelicum virum Christi ecclesiæ dedicans, qui & vaticinari puer exorsus est. Daniel cum suo trium puerorum comitatu non tam corporali eunuchismo, quàm perpetuò ex animo castitate seruata posteritati gloriosus euasit, vt qui non tantùm cœlebs, sed cœlibatus apud posteros exemplum dici meruit. Neque enim filios habere potuit, qui adhuc puer in captiuitatem ductus est: nec vllos sua iustitia filios liberare potuisset, nisi ex laterali cognatione prognatos.

Accedente autem euangelica luce impleri cœpit area domini virginum continentiumque immenso examine. Huius virginitatis antesignanos enumerabimus, Ioannem apostolum vel hoc vno nomine plus cæteris dilectum, & à puero apostolorum adscriptum collegio. Quem idcirco ad prælaturam assumptum Hieronymus negat, cùm foret ipse virgo, quia, vt ait, ætati delatum est. Petrus enim senior erat: ne adhuc adolescens ac penè puer progressæ ætatis hominibus præferretur. Tantum tamen apud hunc valuit virginitas, vt arcana & hauserit & exposuerit, quæ nuptiæ capere non potuissent: vnusque

in hoc delectus sit ex omnibus, cui virgini virginem matrem dominus commendaret. Ioannis Baptistæ seuera castitas, & casta seueritas omnes ad se in desertum suo etiam trahebat silentio: vsqueadeò totus mons fumigabat, eo quòd dominus descendisset super eum.

Paulum fuisse virginem nemò citra pudorem audebit inficiari, qui modò hoc vnum apud se cogitauerit, quòd lapidantium Stephanum vestimenta reposita essent apud pedes adolescentis, qui dicebatur Saulus. Quòd si adolescens fidei colla submisit: quomodo illi vacasset coniugij vincula subire, qui mox non acquiescens carni & sanguini abiit in Arabiam, quique postea consulturus erat, quòd qui habent vxores, sint tanquam non habentes? Et quod apertius est: Solutus es ab vxore, noli quærere vxorem. Hoc autem omni dubio procul virginem eum demonstrat, quod ait priore Corinthiorum septimo, Volo autem vos omnes esse sicut meipsum. Quod certe citra inuidiam velle non poterat, nisi virgo fuisset. Quis enim citra iniuriam optet virgines à suo gradu excellentissimo ad viduitatis deiicere statum, hoc est, à tribunali ad subsellia? Alioqui dicturus erat, Vellem omnes fieri plusquam meipsum, nempe virgines. Nec enim, qui se abortiuum profiteri non erubuit, inferiorem à virginitate gradum à se abnegasset, si solum viduus, non virgo fuisset. Quis enim solum viduus ac verè pius virginibus sese nedum æquiparare audeat, quin potius sibi in infimo stanti in supremo sedis honore triumphantes virgines assidere cogat? Hæc igitur satis apertè docent Paulum fuisse ac permansisse virginem. Nam quod quidam obstrepunt de potestate mulierem circunducendi, quasi vxorem habuerit Paulus, quam circunduceret, vnius illis Hieronymi authoritas satis esse debet, qui ait, Vbi de comedendo & bibendo, ac de administratione sumptuum præmittitur, & de mulieribus sororibus infertur, perspicuum est non vxores debere intelligi, sed eas, quæ de sua substantia ministrabant. Nam quòd additur, sorores, tollit vxores: & ostendit eas germanas in spiritu fuisse, non coniuges. Nam si vxorem Paulus

habuisset, dicturus erat, Nos qui vxores habemus, simus tanquam non habentes. vt mirum sit, quàm præpostere Erasmus collegerit Paulo fuisse vxorem, cum omnino contrarium hinc eliciatur, nisi quòd spiritualibus oculis illi opus erat. Nam quis non potius diceret se optare coniugatos redigi in ordinem innuptorum, quàm innuptos in ordinē coniugatorum? Sic cancer dum progredi se putat, regreditur. Atqui in via dei non progredi, regredi est. Vult ergo Paulus innuptos manere innuptos, sicut ipse est: aliàs vellet omnes esse coniugatos. Sic solet affectus nimium propensos in rem quampiam transuersos agere. Quod Psalmista non tacuit, dicens, Ipsi obliquati sunt, & ceciderunt, nos autem surreximus, & erecti sumus. Nec satis habuit Erasmus hoc delirasse loco, nisi & eadem semper chorda aberrans, in Philippensibus quarto cap. pronubi partes agens, Diuum Paulum, & eum quidem virginem, inuitum trahat ad nuptias. Qui mos est nuptiatoribus istis peculiaris, vt magnatum exemplo sua imperfecta tegant. Qui de germano compari mulierem vxorem facit, refragante etiam dictione, vbi pro virili genere fœmineum vult intelligi. Dum enim legitur, Germane compar, gratius habet, si legatur, Germana coniunx, noua quadam metamorphosi, virili sexu in fœmineum verso, refragante, nihilominus Theophylacto, imò & exēplari Græco, & interprete Hieronymo, vbi dictio γνήσιε, virili effertur genere. Adeò nuptiator, litera etiam refragante, propensus est in rem nuptialem, vt etiam nihil minus cogitantes, imò prorsus auersantes coniugia, trahat ad nuptias. Verum hæc larua nec diu, nec multis imponit. Quod autem pseudohieronymi, vt ait, authoritatem eleuat, qui germanum nomen dicit esse hominis, & compar officii, illud scire oportet eum non esse Hieronymum, sed potius Primasium Diui Augustini per omnia æmulatorem, sicut & Theophylactus Chrysostomi imitator est. Quòd autem dixi Primasii esse opus, quod operibus Hieronymi inseritur, id quidem primo intuitu constabit, vbi quis exemplaria inter se conferet. Verbis enim paulum immutatis, nullum est sententiarum discrimē. Atqui Primasii apud omnes

non leuis est authoritas. Maneat igitur suus ecclesię sensus solidior, quàm vt interturbari possit vnius Eusebii sententia ecclesiasticæ historiæ libro tertio: quando ne Hercules quidem contra duos, quanto minus contra omnes, qui præcesserunt, quique sequuti sunt synceræ pudicitiæ fautores & illustratores? Eusebii siquidem scripta quanti Hieronymus æstimet, vel hinc coniicere licet, quod ait, ad Minerium & Alexandrum scribens, Ego & in adolescentia & in extrema ætate profiteor Origenem & Eusebium Cæsariensem viros esse doctissimos, sed errasse in dogmatum veritate. Nam præter citatos sic ait Ambrosius, Non diceret Paulus, bonum est innuptis vt sint, sicut & ego, nisi esset integer corpore. Nec diceret, Vellem omnes esse sicut meipsum habens vxorem. Nam hoc dicens, virgines esse nollet, quod absit, quin & iuuenculus anticipatus est gratia dei. Hæc Ambrosius in priorem ad Corinthios septimo. Alio item loco dicit Hieronymus ad Eustochium de custodia virginitatis. Neque audiendi sunt, qui Paulum vxorem habuisse confingunt, cum de continentia differens, intulerit, Volo omnes esse sicut meipsum. Non potest tantorum virorum leuis esse authoritas de sensu scripturæ medullitus hausta, nisi quòd nuptiatores isti malunt alieno velamine suam impuritatem tegere, quàm propriam detegere turpitudinem cōtrarias extollendo virtutes.

Iam si cæterorum apostolorum discipulorúmve conditionem percurrere libet, inueniemus eos magna ex parte nuptiarum fuisse expertes. Id autem satis cōstat, quòd si qui ex eis vxorem habuerint, fuerunt quasi non habentes. Nulla certe, paucis exceptis, vel vxorum vel sobolis ex veterum scriptis extat memoria: quin & si qui vxores habuerint, eas acceperunt, quo tempore euangelium nesciebant: quo assumpto negocio, coniugale officium à se abdicarunt. Constat nihilominus Lucam medicum octogenariū in virginitate perdurasse. De Iacobo autem fratre domini, quo modo illi vacasset rei vxoriæ operam dedisse, qui, vt recensuit Hegesippus, de vtero matris sanctus fuit, vinum & siceram non bibit, carnem nullam comedit, nunquam attonsus est, nec vnctus vnguento, nec vsus balneo,

& cætera? Ioseph, vt diuo Hieronymo placuit, virgo virgini desponsatur. Et mirantur nostræ ætatis Epicurei, vnde irrepserit cœlibatus ipsi ecclesiæ catholicæ: qui potius mirari debuerant, quomodo non amplius diffusus sit in omnes ordines. Si tamen expenderent, quantum diffusa fuerit per Alexandrinam ecclesiam, diuo Marco authore, continentia, quam, vt diuus Hieronymus ait, sic radicitus inseruit, vt omnes ad continentiam suo exemplo cogere videretur. Qua de re idem Hieronymus in Philone, Apparet, inquit, talem primum Christo credentitium fuisse ecclesiam, quales nunc monachi esse nituntur & cupiunt, vt nihil cuiusquam proprium sit, nullus inter eos diues, nullus pauper, patrimonia egentibus diuiduntur, orationi vacatur & psalmis, doctrinæ quoque & continentiæ, quales & Lucas refert primum Hierosolymæ fuisse credentes. Pendet itaque à diuino instituto & apostolico exemplo, qui hodie sacerdotali adhæret ordini, cœlibatus.

Tertius iam stabiliendæ continentiæ locus occurrit ex diui Pauli testimonio, qui priore ad Timoth. quinto ad hunc præcipit modum, Adolescentiores viduas deuita. Cum enim luxuriatæ fuerint, in Christo nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt, qua scilicet voto adstrictæ tenebantur. Quandoquidem hunc locum omnes vno ore ecclesiæ proceres de voto castitatis interpretãtur, vt apertè docent post Chrysostomum Theophylactus, & post Augustinum Primasius. Sic enim Theophylactus ait, fidem irritam, conuenta dicit & pactiones, quas inanes fecerunt. Eas tamen cum Christo pepigerant, quocirca damnationem acquirunt. Primasius autem sic ait, Primam fidem irritam fecerũt: quia fecerunt sibi illicitum, quod licebat, vouendo castitatem. Et hæc, inquit, regula non solum in viduis, sed & in virginibus tenenda est. Hinc diuus Augustinus ad Iulianam, In electa & deo voto oblata non solum capessere nuptias, sed velle nubere damnabile est. Nam & hoc demonstrat apostolus, dicens, Nubere volunt, habentes dãnationem, quia primam fidem irritam fecerunt, etsi non nubendo, tamen volendo. non quòd malæ iudicentur nu-

ptiæ, sed damnatur propositi fraus, damnatur fracta voti fides. Et super psalmo septuagesimoquinto, Quid est primam fide irritam fecerunt? scilicet vouerunt, & non reddiderunt. Et ita aliis plerisque locis interpretatur Augustinus. Huic sane interpretationi deintegro astipulatur consilium Carthaginense quartum cap. vltimo, & consilium Toletanum quartum cap. quinquagesimoquinto. Consilium item Auraicense cap. vigesimoseptimo, conspirantibus Aurelianensi & Elibertino consiliis. Aurelianense quidem decimoseptimo capite, Elibertinum vero decimotertio ista confirmant. Nec ab huiusmodi scopo abscedit Ambrosius, qui ait temerarium esse profiteri, quod ætati adhuc iuuenili credi non debet. Damnationi enim fit obnoxius, qui ab hoc declinat, quod rectè fecerat. Cæterû Augustino per omnia fermè consentit Anselmus, eisdem penè verbis hanc confirmans sententiam, vt vix prodire possit, etiam si sit impudentissimus, qui celeberrimum hunc patrum cõsensum nedum lacerare, sed nec arrodere queat.

Nunc progrediendum ad vlteriora.

Apostolorum collegium vsu non caruisse votorum, leui manu demonstrare.

Constat ex his, quæ nuper protulimus ex scripturæ sacræ thesauris desumpta, voti deo placẽtem hostiã ex spiritussancti instituto emersisse. Nũc (quod ipsi magis mirabuntur nuptiatores hæretici) palàm faciemus nec apostolico quidem cœtui vsum defuisse votorum, paupertatis inquã atque cœlibatus. Quæ vota in ipsa primitiua ecclesia tantisper magna ex parte perdurauerunt, donec ipsa in vinculis charitatis perseueraret: necdum Iudææ limites egressa adhuc angusta populo, cum nec ad cæteras toto orbe diffusas nationes peruenisset. Quod posteaquam factum est, ea bonorum communicatio contracta est ad certos quosdam therapeutarum conuentus, qui dei cultores speciali nomine vocabantur. In quarum congregationum locum subiêre, qui hodie monachi & cœnobitæ vocantur, & à Dionysio Areopagita therapeutæ. Quod

ergo in vniuersitate populi Christiani seruari non potuit, ad therapeutarum collegia contractum est, nempe bonorum in commune possessio, & perpetuæ obseruatio castitatis. Hanc enim vitam obseruationémque apostolicam vocat Augustinus, quasi illa à fontibus apostolicæ obseruationis ad cœnobia conuentusque monasticos deriuata sit. Huius rei locupletissimi testes nobis erunt Philo Iudæus de ecclesiæ Alexandrinæ laudibus, ac diui Marci illius institutoris. Diuus item Dionysius Areopagita, qui de therapeutice plurima disseruit. Cui adstipulatur Georgius Pachymeres, huius diui Dionysii interpres, qui ante mille abhinc annos viuere desiit. Qua de re fusius proximè disseremus. Illud ad præsens stabiliendum erit ipsos apostolos ex professo in prmitiua ecclesia sua bona in cõmuni tenuisse, ac cœlibatum, quoad licuit, obseruasse, vt qui ante euangelium vxores habuerant, ipso illucescente fierent tanquam non habentes. Qui vero rei vxoriæ molestias nondum contraxerant, ab inito sacerdotio nunquam iniêre iugum coniugii. Quam quidem obseruationem etiam ipsa Orientalis ecclesia agnoscit. Quæ quanuis ad sacerdotium recipiat coniugatos, nunquam tamen eos, qui cœlibes sacris fuerint initiati, ad nuptias transmigrare permittit. Nunc igitur probandum est apostolos rerum alioqui suarum proprietati ex professo abrenunciasse, & loculis quidem vsos, sed in communi. Cuius rei, etiam si cætera desint, hoc vnum fidem facere potest & quidem certissimam, quod Matthei quarto dicitur. Illi continuò relictis retibus sequuti sunt eum, nempe Petrus & Andreas: quódque de Iacobo & Ioanne subiungitur, Illi relictis retibus & patre, sequuti sunt eum. Cuiusmodi abdicatio qualis fuerit, abundè Gregorius docet. Multum (inquit) reliquit, qui sibi nihil retinuit: multum dimisit, qui cum re possessa etiam concupiscentiis renunciauit. A sequentibus ergo tanta dimissa sunt, quanta à non sequentibus concupisci potuerunt. Ex quo elicere promptum est, apostolos non res solùm, quin & facultatem sibi adquirendi ac priuatim possidendi abdicarunt. Chrysostomus huic alludens ait, In hoc nos docuerunt, quia nemo potest terrena possidere, & perfectè ad cœlestia peruenire.

Huius autem priuatæ possessionis abdicatio ex alio colligi tur loco, nempe Matthæi decimonono, cum Dominus dicat: Vade, vende omnia quæ habes, da pauperibus, & seque re me. Cui diuino instituto obtemperasse apostolos Petr⁹ profitetur, præmium inde requirens his verbis: Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te: quid ergo erit nobis? Caietanus autem verbum (omnia) ad negocia refert, non ad possessiones: sed pudẽdo nimium errore. Nam hoc verbum Christi: Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus: quis nisi stupidus de negocijs intelligat, & non de rebus possessis? quasi vero Dominus velit, aut nobis consulat vendere solicitudines nostras, & dare illas pauperibus. Hoc certe (vt rectissime Catharinus ait) est scripturam non exponere, sed corrumpere ac peruertere. Non ergo secus hæc verba intelligi possunt, quàm de rerum possessarum abdicatione. Atqui huiusmodi abdicatio non solũ in præsens, imò & in posterũ facta fuisse intelligẽda est, id quod non nisi voto fieri potest. Apostoli itaq; facultatẽ rem aliquam priuatim possidendi à se penitus abdicarunt, qui nihil nisi in communi possidebant. Nec solo proposito, nisi voto firmato, huiusmodi facultas auferri potest. Quod Christus confirmans ait: Vos qui reliquistis omnia. Omnia dicit, nihil excludens: ergo & futuram rerũ in priuato possessionem. Aliàs non omnia reliquissent, qui sibi ius priuatim & negociandi & possidendi reseruassent. Si mihi diffidis, audi Augustinum dicentem: Dixerant potentes illi, Ecce nos reliquimus omnia. Hoc votum potissimè vouerant. Sed vnde hoc eis, nisi ab illo de quo dictum est: Dans votum vouenti? Huiusmodi abdicatione apostolos vsos dicere habet, qui modo intelliget in apostolis æqualem fuisse rerum mundanarum abdicationem. Atqui Diuus Matthæus sic sua reliquit, vt spem futuræ possessionis omnium procul ab se abijceret. At æqualis in omnibus fuit abdicatio rerũ, si nõ in re, certe in ꝓposito. omnes ergo ius priuatim possidẽdi à se abdicarunt. Cum autẽ dominus dicat, Si quis dimiserit patrem, vxorem, filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet. Constat agros non alienari, nisi in ꝑpetuũ. Est igitur huiusmodi abdicatio ꝑpetua. Vsus autem rei vxoriæ nullo alio quã voto abdicari po-

Caietani error

test. Iã si quis obijciat, ad retia & remos redijsse piscatores apostolos. Hoc certe factum est, vt in cõmune rebus vterentur, non vt priuatim aliquid possiderẽt. Sedquid opus est ampliore testimonio, cum in Actis legatur secundo, quartóque capitibus: Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna: nec quisquam eorum qui possidebãt aliquid, suum esse dicebat: sed illis erãt omnia communia. Porro qui omnia in communi possidet, nihil priuatim sibi reseruat. Nec est quod quis hæsitet in verbo, possidebant. Possidebant quidem, sed in communi. At nemo puto existimabit discipulos aliud ore pronunciasse, & aliud concepisse animo. Si igitur dicebant omnia esse communia, non aliud corde cogitabant, præsertim quum Petrus ob mendacii causam extremo supplicio affecerit Ananiam & Sapphiram. Voce igitur & ore amplectebantur apostoli rerum inter se communionem. Cui sentẽtiæ adstipulatur id quod nuper relatum est de Anania & Sapphira, quos increpans obiurgat Petrus, dicens non eos mentitos hominibus, sed deo: cui sane non mentirentur, nisi quòd à pollicitis recessissent. Præcesserat igitur promissio, quæ non nisi voti rationem habet. Quod autem ibi dicitur: Nonne manens tibi manebat, & væ nundatum in tua erat potestate? illud ad possessionem in communi pertinet. Nam cum non esset egens inter illos, & cuique daretur prout illi opus esset: perinde erat, atque si vẽdens precium agri apud se retinuisset.

Nam qui nullius eget, satis possidet. Nec ineptè tamen aliam sequi poterimus coniecturam, si intelligamus tunc primum voto fuisse abrenunciatum rerum priuatæ possessioni, quum distractæ rei precium substerneretur apostolicis pedibus. Quod signum erat efficax solennizati voti. Re itaque nondum exhibita prædium possessori manens manebat: & rei venditæ precium adhuc subiacebat potestati venditoris, donec sponte traditio fieret per abdicationẽ rei pedibus apostolorum exhibitæ: sicq; votum sequens tũ primum prioris priuatę possessionis extinguebat libertatẽ. Hæc per se ita liquent, vt mirum sit Caietanum inuerso sẽsu aduersam huic hausisse sententiam. Quòd si in ea re hæsitabat, consulere debuerat sanctissimorum patrum interpretationẽ: quæ (si quando occurrit dubium) nobis vice o-

raculi esse debet. Quandoquidem Hieronymus ita declarat, Quod licitum erat, per votum sibi fecit illicitum: sicut Ananias & Sapphira, quibus post votum de precio possessionis suæ retinere nihil licuit, illicitè tenuerunt: ob quam causam subita morte prostrati sunt. Idem Paulinum monachum instituens, sic ait: Iam non sunt tua quæ possides, sed dispensatio tibi credita est. Memento Ananiæ & Sapphiræ. Illi sua timidè seruauerunt. Tu considera, ne Christi substãtiam imprudenter effundas, id est, ne immoderato iudicio rem pauperum tribuas non pauperibus, & secundum dictũ prudentissimi viri, liberalitate liberalitas pereat. Quod autem, sua, Hieronymus dicit, id quidem verum in communi, sed non priuatim. Qui iccirco peccabant, quòd de communibus priuata facere tentarent. Conspirat in hanc sententiam Gregorius, qui ad Venantium ait, Ananias pecunias deo vouerat, quas diabolica victus persuasione subtraxit. Deniq; exemplũ istud omnibus est in digitis, quoties execrari volumus vitium temerati voti paupertatis. Quod fieri minime deberet, si huiusmodi exemplum nihil haberet, cum voto commune. Recensentur hæc à Gratiano in capite Ananias, decimaseptima, quæstione prima. Comprobantur ea quę diximus, diui Clementis Romani pontificis sententia: quam recenset Gratianus in cap. Dilectissimis 12. quæst. 1 his verbis: Istius consuetudinis more retenti etiam apostoli, eorumque discipuli communem vitam duxerunt. Erat enim (vt bene nostis) multitudinis credentiũ cor vnum, & anima vna &c. A qua tamen sententia Cardinalis de Turre Cremata Humbertũ secutus resedit: negans ex voto, sed tantũ ex charitate bona fuisse communia. Verũ quia vrgetur hoc nomine votũ ex verbis glossæ, quæ Ananiã dicit votũ vouisse sicut & cæteros, tãdẽ admittit votũ, sed temporale in præsens tantum, non in posterũ duraturũ. Deuouebãt, inquit, ea quę tunc habebãt: nõ tamẽ abrenunciabant ex voto omnibus videlicet in posterũ acquirendis. Huic tamen sententiæ reclamat sacrorum turba doctorũ, quin & res ipsa. Nã apostoli vsq; ad mortem in eodẽ ꝓposito perdurarũt, videlicet relinquendi omnia, & sequendi Christũ. Non igitur fuit tẽporale, sed perenne votũ. Alioqui mittentes manũ ad aratrum, respexissent re-

trò. Nec legitur vbi aut quādo hunc ritum communicationis bonorum mutauerint: quin potius Gregorius hoc verbum, omnia, ad præsentia & futura extendit: vt suprà mõstratum est. Sed quid opus multis, cum toto suæ vitæ stadio apostoli pro regno cœlorum militarent? Qui semel omnia reliquerant, relicta quomodo resumere potuissent, quum eadem semper caussa in eis perseuerauerit omnia relinquendi? Illud tamen non negauerim hanc proprietatis abdicationem non fuisse inter omnes Christianos: verum potissimum inter eos qui se adnumerabant collegio apostolico in Iudæa. Et hanc iterum abdicationem confirmat Vrbanus Papa in cap. Scimus. eadē caussa & quæstione: vbi de communi vita voto firmata loquitur. Et hunc viuendi ritum apud suos non adinuenit, sed hausit potius Augustinus, vt non tam dicendus sit author, quàm regulę apostolicæ imitator, vt est in cap. Nō dicatis. Non est igitur humana hæc constitutio, sed diuina potius & apostolica. Quin & totā cœnobiticæ disciplinæ panopliam ab apostolicis fontibus sumpsisse exordium abundè docet Abbatis Pyamonis capitulū quintum collationis 18. apud Cassianum, Quo perlecto nihil superest, quod ad fidem huius rei faciendam vltrà desyderare possis.

Qua ratione cœlibatus perpetuus ordinibus sacris adhæserit, pluribus argumentis demonstrare.

Palàm ex prioribus fecimus non paupertatis tantum, sed & perpetuæ castitatis votum, tradente scriptura sacra, diuinitus institutum: nunc qua aut ratione, aut modo sacris ordinibus medullitùs hæserit, aperiendum est. Huius enim origo longo abhinc repetenda est initio, à prima siquidē origine traditæ legis Mosaicæ. Si quando tractādæ rei sacræ se offerret occasio, primùm omnium publicitus indicebatur: sanctior quædam à maritali commercio abstinentia. Exodi decimonono, quum lex à domino tradenda foret, audijt populus, Estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus vestris. Quid igitur censendum est de his, qui ad singula pene momenta altari assident, & res tractant sacratissimas, cuiusmodi sunt, sacerdos, diaconus, & hypodiaconus?

Iam si sacerdoti pro veteris legis vsu nuptialis concedebatur facultas: ea erat tot, tamque variis adstricta repagulis, vt pene eligibilius foret vxorem non duxisse. Nam semel amissa vxore, alterius ducendæ nullus supererat locus. Atqui difficilius cõtinet carnis semel expertus delicias, quàm qui semper fuit tori maritalis expers. Et id quidem erat allusio ad futurum euangelicum cœlibatum. Sic enim parua leuem faciunt ad grauiora viam.

Deinde cùm libertas orandi à continentia pendeat (vt diffuse tradit diuus Paulus in Corinthiis priore, septimo) quid nisi perpetuo cessandum est à nuptiali solicitudine, cui semper est orandum, cuique semper altari oportet adsistere? Nam & Zacharias, Lucæ primo, à domo & familia aberat, donec impleretur dies vicis suæ atque officij. Hinc prodiit celebris Bedæ sententia, Huic conuenit semper cõtinere, cui semper incumbit orare.

Ad hæc, 1. Reg. 21. munditiem puritatemque triduanã exigebat sacrorum panum delibatio, dicente Achimelech ad Dauid, Non habeo laicos panes ad manum, sed tantum panem sanctum. Si mundi sunt pueri à mulieribus, manducent. Et hic aberat longe à pane illo vero: quin potius ab illo distat, quantum cœli à terra: de quo dictũ est, Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Nam authore Hieronymo in epistolam ad Titum, Tantum interest inter panes propositionis & corpus Christi, quantum inter vmbram & corpora, inter imaginem & veritatem, inter exemplaria futurorum & ea ipsa quæ per exemplaria figurabantur.

At hic mihi dicturus est coniugij propugnator, fateri se immunditiam omnem debere procul esse ab huiusmodi sacrorum administratione: coniugium autem non esse de genere immundorum, cum scriptum sit, Honorabiles nuptiæ, & torus immaculatus. Cui respondendum, quòd vti aurora per se quidem lucida, meridianæ luci collata obscura & tenebrosa censetur: ita & huius coniugij vsus immunditiæ quandam rationem habet, si cum sacrorum administratione conferatur, etiamsi per se culpa vacet. Id ne effictum à me putes, ecce promptum tibi scripturæ testimonium nuper prolatum, Si mundi sunt pueri à mulieribus, mã

ducent panes. Hinc diuus Hieronymus aduersus Iouinianum ait, Panes propositionis, quasi corpus Christi de vxorum cubilibus consurgentes, edere non poterant. Contemplandum est, quod dixerit Achimelech, Si mundi sunt pueri ab vxoribus, videlicet quod ad mundiciā corporis Christi, omnis coitus immundus sit. Hæc ille. Huc spectat Augustini præclara sententia libro quæstionum veteris & noui testamenti. Nunquid omne quod ante cæteros licet, ante imperatorem licet? Quanto magis in dei causis. Ac per hoc antistitem eius puriorem cæteris esse oportet. Ipsius enim personam habere videtur, quia necesse habet quotidie Christi vicem agere, aut orare pro populo, aut offerre, aut tingere. Et huic non solum concubitus non licet, verum etiam ministro eius: quia ipse mundior debet esse: quia sancta sunt, quæ ministrat. Nam sicut ad comparationem lucernæ tenebræ non tantum obscuræ, sed etiam sordidæ sunt: ad comparationem autem stellarum lucerna caligo est: ad solis vero comparationem stellæ nebulosæ sunt: ad dei autem claritatem sol nox est: ita quæ ad nos munda & licita sunt, ad dei dignitatem quasi illicita & immūda sunt. Quanquam enim bona sunt, dei tamen personæ non competunt. Nunquid non tunica mediocris hominis quanuis munda, imperatori tamen sordida & illicita est? Similiter & saxonitia senatori? Ac per hoc antistites dei puriores esse debent, quàm cæteri: quia & Christi habent personam, & ministros dei mundiores esse oportet. Nemo enim imperatori ministrat, nisi vestimentis claris & mundis indutus. Deus autem quia natura clarissimus est, ministros eius natura magis quàm vestibus mundos esse oportet. Hæc Augustinus. Si ergo huius vitalissimi panis vsus est sacerdoti euangelico continuus, quomodo ergo vsum hunc non cōtinua sequatur continētia: vt qui indesinenter sacrificat, indesinenti se castitati deuoueat, iuxta Origenis sentētiam in lib. Numerorum, homilia 21. Alludit Hieronymus aduersus Iouinianum, Habuerunt quidem vxores nonnulli apostoli, sed quas eo tempore ceperant, quo euangelium nesciebant: qui demum assumpti in apostolatum relinquūt coniugale officium, cum Petrus dicat, Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Hinc & Paulus, Tempus breue

est,qui habent vxores,sint tanquam non habentes. Quòd si nec illis permittitur vti, quas legitime duxerant, vxoribus: quomodo igitur sacerdoti euangelico licebit ducere nondum habitam? Itemque Paulus ait, Qui sine vxore est, sollicitus est quæ sunt domini: qui cum vxore est, sollicitus est quæ sunt mundi,& diuisus est. Atqui contemplationis vnitas non admittit diuisionem,& ministerij assiduitas nō recipit huiusmodi intermissionem.

Docent,quod hoc loco persuadere nitimur, innumera, quæ sacerdotale coniugium sequerentur,incommoda. Primum rerum pauperibus distribuendarum iniqua distributio,quæ non sine grauissima pauperū iactura tota in vsum familiæ cederet. Exemplo nobis esse debet filiorum Heli intemperata lasciuia. Deinde si omni statui cœlibatum adimas,adeo vt omnes omnium locorum ordines generationi vacari oporteat: continuo experietur vel vnius ætas hominis orbem ipsum minime suffecturum ei, quæ mox successura est,soboli. Huius à me pronunciati si quis experimentum scire volet,sibi ob oculos suæ mentis constituat quatuor ex vno generationes,in quibus omnes educendæ proli daturi sint operam. Iam, si ex vno quinque prodeant liberi,secūda generatio quincuplatam prolem educet, tertia vero centum viginti quinque liberos proferet. Quarta vero sexcentis vigintiquinque ex vno progenitis filiis, qui oppidum implere sufficiant, familiam oneratam videbit, idque infra sexaginta annorum interuallum. Iam mihi vide,nisi huic effrenatæ ac luxurianti propagini modum aliquem imponat cœlibatus,quis tandem locus capiet homines? Bene igitur Sapiens ait, Tempus plantandi, tempus euellendi quod plantatum est. Tempus amplexandi, & tempus longe fieri ab amplexibus. Ab initio orbis nascentis tempus erat plantandę syluæ: nunc autem vtendum est sylua cædua,non quod occidatur, qui nati sunt,sed vt modus ponatur nascituris: qui nulla re melius adhiberi potest, quàm per cœlibatum. Ex huius continentiæ commodo collige in laxis coniugij habenis irreparabile incommodum.

Pepererunt hæ sacerdotales nuptiæ graue in toto ordine discrimē. Inde enim tumultuosus emersit à plebe aduersus sacerdotium contemptus,etiam vsque ad seditionē,

idque circiter annum domini millesimum septuagesimum quartum, authore Roberto abbate diui Michaelis. Cum enim in Neustria à sede apostolica mādata prodiissent super huiusmodi cœlibatus obseruatione sub Gregorio septimo, qui antea Hildebrandus appellatus est: quiq; vsum nuptialem sacerdotibus interdixit, extantibus super hoc canonibus, vt in cap. Pręter hoc. xxxii. distinct. Itēq; lxxxiii. distinct. cap. Si quis episcopus. Cum igitur Gregorius iste septimus celebrata synodo & simoniacos anathemate, & nuptiarios sacerdotes suspensione officii plecteret: absterrendo etiam plebem ne concubinariorum, qui se legitime coniugatos fuisse contendebant, sacris, dum ab eis celebrarenrur, adsisteret in eorum confusionem. Graue inde scandalum ortum est, quale vix ab initio nascentis ecclesiæ fando auditum sit: aliis pro coniugio, pro cœlibatu aliis animose contendentibus. Et hinc captata occasione tantus horror sacerdotalis nominis apud laicos obortus est, vt de plebe etiam vilissimus contra ordines sacros insurgeret, & ecclesiasticæ prælaturæ iugum excuteret: ventúmque est vsque ad sacramentorum contemptum, dum omnia aut temerantur, aut in dubium vertuntur. Suos quisque baptizat infantes: & quibus sacrum deerat oleum, aurium pruritum vice olei sibi quisque desumebat, eo humore pro oleo vsus. Et hi quidem cum vitæ dies vltimus instaret, viaticum à coniugatis sacerdotibus omnino recipere renuunt: obsequia sepulturæ ab eis aut præstita, aut præstanda paruipendentes. Decimas alioqui debitas aperte denegant. denique vsque ad sacrosanctæ ac omni honore dignissimæ eucharistiæ contemptum, conculcationemque deuentum est. Et hoc odium pene inextinguibile laicorum mentibus irrepsit ob sacerdotes, quos videbant coniugatos: cùm tamen verius esset concubinatus, quàm coniugiū. Hi scilicet erant fructus sacerdotalis incontinentiæ: qui diuelli non potuerunt, donec vno consensu sacerdotes cœlibatum amplecterentur. Vt enim cætera taceam, quis libens ac volens sacerdoti coniugato suæ conscientiæ secreta committat: sciens vxorem eius ac liberos vix sibi temperaturos à probris & conuiciis, si forte vir vxori saltem imprudens huiusmodi secreta reuelet?

Præterea vt perſpicuum ſit nuptiatoribus iſtis, quantũ à gradu deiiciat nuptiale negociũ ſacro ordini coniunctũ ipſos ſacerdotes: ponam illis ob oculos miſerã ac infelicem coniugij ſacerdotalis conditionem, vt à Brochardo monacho deſcribitur in Syria obſeruari, in itinerario ſuo Hieroſolymitano, cuius rei ſe oculatum teſtem aſſerit. Enarrationis tenor ita ſe habet. Nota quòd Catholicus ipſe & omnes alij prælati ſunt monachi, nec quiſquam niſi monachi ad hæc eccleſiaſtica admittuntur officia. Clerici vero ſeculares & ſacerdotes fere nullam habent authoritatem, nec aliud agunt, niſi quòd diuina celebrant officia. Ad omnes horas ſignum faciunt cum tabula lignea (non enim campanas habent) & tunc nocte ſurgunt ad matutinas preces, excitantque ſe mutuo, vt omnes conueniant: nec iterũ dormitum eunt poſt illas abſolutas preculas, ſed ſedent in eccleſia docentes populum vſque ad auroram. Sacerdotes omnes ſunt vxorati: nec aliquis permittitur exequi ſacerdotis officium, niſi ligitimam habeat vxorem. Sabbato duntaxat & die dominico miſſas celebrant: reliquis diebus per hebdomadam amplexibus vacant. Mortua vero vxore ſacerdos continebit, nec aliam poterit ducere vxorem. Et ſi fornicatus aut adulteratus fuerit, ſine ſpe vlla amittit officium & eccleſiam. Quòd ſi vxor eius adulterium perpetrauerit, ſacerdos maritus eius aut continebit, aut officium & eccleſiam perdet. Vxor vero adulterans naſum perdet: & vir qui cum ea concubuerit, caſtrabitur, etiamſi legitimam habuerit vxorem. Id ego ſemel fieri oculis meis vidi. Mortuo vero ſacerdote, vxor eius relicta continebit: & ſi aliud præſumpſerit inire matrimonium, comburetur: ſin meretricari libuerit, nil mali patietur. & id ſæpe apud illos euenire ſolet. Et hæc mihi videtur potiſsima cauſa eſſe, quòd tot in illis terris inueniuntur meretrices. Nam vxores talium continere nolentes, meretrices efficiuntur. Fures committentes furta non admodum nociua, & alij malefactores, qui mortem non commeruerunt, caſtrantur, ne filios generent paternorum morum imitatores. Id ſcio, quum eſſem apud regem Armeniæ, habuit regina plures quàm ſexaginta eunuchos. Rex cum omnibus principibus & nobilibus ſuis libenter audit verbum dei: quibus etiam ſingulis diebus ho-

ra tertia illud à monachis, quos Vetrapethe vocant, deuote ex sacris libris proponitur, vtentibus expositione Ioannis Chrysostomi, Gregorij Nazanzeni, atque Cyrilli, quem ipsi Kyrillum proferunt. Deuoti & morigerati sunt in ecclesia: nec facile vllum ibi videas dissolutum aut indisciplinatum. Quum episcopus sacrum facit, habet astantes suos ministros, puta diaconum, subdiaconũ & acoluthum: & cum magna grauitate ceremonias solitas celebrat. Hactenus Brochardus monachus. Cuius enarratio quid aliud ostendit, quàm monachorum, qui cœlibatũ obseruant, excellentiam: contrà vero nuptiatorum abiectissimam & infelicissimam seruitutem, vel ob hoc vnum, quòd cum spiritu cœperint, carne consumantur. Quocirca rectissime censuit pius iuxta ac doctus, vir sane integerrimus, Iudocus Clichtouæus: qui ita perspicax est, iudicioq; puro, vt quod ante oculos situm est, non satis habeat intueri, sed rerũ exitus sua metiatur prudẽtia, quæ vere spiritualis est, cum ait, Quòd aperta nuptiali in sacerdotio fenestra, totius ecclesiastici ordinis status decolor statim appareret, ac fœda informitate conspurcatus. Iam cum nec summus ipse pontifex statuere possit quicquam, vnde decoloretur status ecclesiæ, constat matrimonij vsum sacro ordini admisceri iure non posse. Eademque opera retunditur insulsum penitus & infatuatum Erasmi cõsilium, qui pro Matrimonio declamans sic ait, Mihi sane videtur non pessime consulturus rebus ac moribus hominum, qui sacerdotibus ac monachis ius indulgeat coniugii. O stupidum consilium, quod nec amplecti dignantur, qui sunt apud Syriam semichristiani. Nullas enim monachis permittunt nuptias, etiamsi secus nedum sentiat, imo & consulat Erasmus. Quàm graphice Christus dominus carnalem istam sapientiã depinxit qui ait, Si sal infatuatum fuerit, in quo terra salietur? Ad nihilum vltra valet, nisi vt conculcetur ab hominibus. Sic dominus solet infatuare Achitophelicorũ istorum cõsilia. Quæ cũ aliis mala sint, sunt tamẽ ipsis pessima cõsultorib⁹.

Vt autem in viã redeamus, plane intelligit lector oculatus ex his, quæ diximus, minime secum conuenire & assiduam in sacris operam, & nuptialis curas negocii: quando vt Brochardus nuper enarrauit, iugo maritali alligati sa-

cerdotes maxima parte temporis arceantur à sacris. Hi enim sacra potiùs delibāt, quàm de integro perficiant: quādo vna tantum die hebdomadæ sacris vacare liceat nuptiariis istis sacerdotibus. Sic domino visum est olim Israelitico populo cœlestis Mannæ dulcedinem non priùs impertiri, quàm exhausta foret penitúsq; consumpta, quam secū ex Aegypto tulerat, farina.

Nunc quando semel enumerandorum discriminū viā, quæ coniugiū sacerdotale circunstant, sumus ingressi, libet pauca ex multis delibare, quibus liquido cōstabit, quòd (si ita se habet causa matrimonij in sacerdotio) omnino non expediat sacerdoti nubere, etiāsi liceret. Licet enim, & non expedit id, quod cùm culpa vacet, attiguam (vt sic dicam) secum attrahit culpam: veluti de naphtha dicitur, quòd cognatas ad se euocet flammas. Primum quidem ecclesia Græca, cui visum est huic cœlibatus iugo colla subducere, vt nec vasa sua deo sancto & vero sacrificatura munda accurate seruaret, iam seruit cum filiis suis, ablatúmque est ab eis regnum, nempe intelligentiæ, scripturarum, datúmque est genti facienti fructū. Quid memorem curarū ac solicitudinū turbam inconditam, quæ nuptiatores obruere solet? Primū quidem, vt poeta ait,

Semper habet lites alternaque iurgia lectus,
In quo nupta iacet: minimum dormitur in illo.

Vides vt coniugij diuisio hominem distrahit ab vnitate ac solitudine, cùm tamen dominus dicat vnum esse necessarium, nempe contemplationem, sacerdoti. Hęc enim est pars optima, quæ ab eo auferri non debet, qui semper adsistit altari. Hoc inquam, est breue compendiū, quo ad diuini nominis contemplationē itur & reditur. Nam qui sine vxore est, vt Paulus ait, sollicitus est quæ sunt domini, quomodo placeat deo. Vt igitur nulla esse potest conuentio lucis ad tenebras, ita nec bene ac feliciter cum connubio sacerdotioq; conuenit. Agnus enim immaculatus puros ac sedulos exigit ministros, qui ait, Sancti estote, quia ego sanctus sum dominus deus tuus.

Cæterū non lōge abest huic cōnubio sacerdotali (neq; id quidē leue) imminens periculū, nēpe irregularitatis, non ex parte tantū viri, imo vero & vxoris, si forte aliquē ex vi-

ri cõſanguineis carnaliter cognoſcẽs, poſtea ad viri ſui cõcubitũ reuertatur. Hinc mille tricæ, & laquei innumeri cõnubiis ſuboriri ſolẽt: à quibus longe abeſt cœlibatus.

Vt ne interim omittam, quòd rerũ eccleſiaſticarũ vſus & cõmoditas in varias tranſmigratura ſit familias vnius beneficio cœlibatus. Non enim tranſibit ad poſteros, ſed ad quoſuis beneficii vacãtis capaces & idoneos. Alioqui à patre infra ſepta eiuſdem domus perpetuo demigraret in filios, ſi coniugii locus detur apud ordinatos. Nam quid frequentius accidere poteſt in huiuſmodi familia ſacerdotali, q̃ perpetuum ſacrilegium: dum ſcilicet filiorũ & hæredum turba necdum expectato cadauere (id quod nec vultures faciunt, qui cadauera expectant) vniuerſam ſupellectilem harpyarum more dilaceratam fœdarent? Quis enim modus dari poteſt huic furori, dum ſibi quiſque conſulit, ne perpetua laboret inopia: quando nec hodie turba ipſa nepotũ, quæ longius abſiſtit à ſtipite, arceri poteſt à præda ac rapina? Quid igitur cenſeas de vxore & filiis, cùm mel muſcæ ſequantur, cadauera lupi: ita & prædam ſequatur turba, non hominem?

Rurſum quis tam Stoicus ſeu apathicus, vt carnem ſuã aliquando odio habeat, & non curet eam? At latiſsime diſtat Stoicus ab Epicureo. Cura igitur familiæ ſemper torquebit animum ſacerdotis, & in diuerſa miſere afflictam mentem diſtrahet quotidianæ neceſsitatis curis implicitã, niſi hic vnus cœlibatus huic morbo medeatur.

Quid, quod indecorum eſt, ſi filius patri in altari miniſtret: ne dicatur hæreditate poſsideri ſanctuarium dei? Quare vna opera antiquari oporteret in eã rem editos canones. Atqui vt canis à corio vix abſterrebitur vncto, ita & ęgre, imo & difficilius multo filiꝰ diuelletur à latere patris. Quem licet expellas furca, tamen vſque recurret.

Hic mihi videant antichriſtianæ licentiæ aſſertores, q̃ belle conſulant, vt videri volũt, Chriſtianę (vt aiũt) libertati. Hoc enim non eſt liberare à malis, quin potius in malorũ lernã retrudere ſacerdotiũ. Id quoq; perſpicuũ eſt vel cõmuni naturę iudicio, cuius ſolius impulſu ſacerdotis vxor cõtinuo pudore ſuffunderetur, vbi audiret ſe aut presbyteriſſam, archidiaconiſſam, canoniſſamve appellari. Hic pu-

dor innatus docet minime cõuenire ſacerdotibus cõiugia.
Adde quòd tota diametro à ſe inuicem diſtãt animi puritas vitæ ſacerdotalis comes indiuidua, & rei venereæ (vt ſic dicam) brutalitas: quando (vti diuo Auguſtino viſũ eſt) nihil ita mentem virilem de arce deiicit, quàm attactus fœmineus. In eo enim bruteſcit vis tota rationis humanæ. Qui igitur inter coniugium & ſacerdotium concordiam ſomniat, prius efficiet, vt placidis coeant immitia, vtq; ſerpentes auibus geminentur, tigribus agni. Iam quis non videt ex his tori maritalis deliciis dilatandã effrenatæ multitudinis turbam: quæ tamen abſterreri debuerat vel vnius ſeueritate cœlibatus? Quis demum infinitæ multitudini occurrere poterit, ſi ſemel liceat rei vacare vxoriç, vnà cum ſacrorum cultu ordinum? Quiſque enim vnà cum vili miniſterio frui volet ſacerdotio. Et quo tandem deueniet portio illa deſignata pauperibus, cùm omnia peritura ſint inter manus filiorum & hæredum? Iam nemo, niſi cæcus, intuetur, neque vtile, neque expediens, ſed neque omnino decorum congruúmve ſacerdotio admiſcere connubium. Id quod plane intellexerũt viri ſpirituales, quorũ expectãdum erat iudiciũ. Nam ſpiritualis omnia diiudicat, etiã ſecreta dei. Quibus ea cumprimis non infima cura fuit, nedum auertere à nuptiis ſacerdotium, imo id efficere, vt ipſę nuptiæ tranſmigrando euolarent ad cœlibatum. Id quod fieri poſſe cenſuit Euſebius Papa circiter annum Domini trecenteſimumquintum: vt recenſet Gratianus in cap. Deſponſatam. 27. quæſt. 2. Carnales vero nuptiatores quid niſi contemnendi ſunt? Quorũ probris inſectanda veniũt iudicia, cùm ſpiritualis iſtorũ iudex oculatiſsimus Paulus dicat, Carnalis homo nõ ſapit quæ dei ſunt. Stultitia enim eſt illi. Nemo tam fuerit ſtupidus, vt aut canũ latratus inanes curet, aut certe cęcorũ velit imitari veſtigia. Omnes ad vnum viri ſpirituales legem de cœlibatu aut tulerunt, aut latam cõmendauerunt. Negligendi ergo ſunt Epicurei iſti laſciuiæ libidinúmq; præcones, in quibus ſenſum communem merito deſideres. Legę ſi lubet Cardinalem de Turre Cremata in cap. Diaconus, 27. diſtinctione. Item ex canone Apoſtolorũ 27. Innuptis autem, qui ad clerum prouecti ſunt, præcipimus, vt ſi voluerint, vxores accipiãt, ſed

lectores cantorésque tantummodo.

HABES Christiane lector, si huc oculos admouere libet, rationem cœlibatus sacerdotio adiuncti euangelico. Nunc quis in ea coniūctione modus seruatus sit, paucis accipe. Mox ab illucescente euāgelico sacerdotio ita se habuit coniugiū ad sacerdotale munus, vt ferme ad lucē tenebræ: quādo vbi semel accesserit sacerdotiū, nullus superest cōnubio locus more vtriq; ecclesiæ cōmuni & semper illibato: ecclesiæ dico Oriētali & Occidētali, Græcæ inquā & Latinæ. Verū ante Syricii Innocentiiq; expleta tēpora cōiugio præeunti accedere & succedere potuit sacerdotiū, iure quidē non tam laudato propter excellentiam, q̄ indulto propter necessitatē. Istud Hieronymus non siluit, qui aduersus Iouinianū ait, Eligebantur mariti in sacerdotiū (prima scilicet ecclesię ætate) non nego: quia non sunt tāti virgines, quāti necessarij sunt sacerdotes. Nā in exercitu assumūtur infirmiores, vbi non subest numerus fortiū: ita non suppetēte numero virginū aut continentiū, assumebāt cōiugati. Et id quidem coniugiū vsu coniugali licitū erat, sed magna ex parte mutilum orationis, sacrificij aut prædicationis causa. Quorum vsus continuus vertere cogebat vxores in sorores, ita suadente diuo Paulo, Tempus breue est, qui habent vxores, sint tanquam non habentes. Atqui in hoc coniugio cœlibatus multo post tempore mansit in consilio, non autem in precepto, vsq; ad tempora Syricij & Innocentij, ad annū videlicet restauratæ salutis quadringentesimū. Adhuc messis erat in herba, necdū albescebant aristæ, vt falx continentiæ sacerdotio admoueretur: nec erat durioribus præceptis lignū fumigās extinguendū. Satis erat cōsuluisse, quod qui vxores haberēt, essent tanq̄ non habētes. Accedebat igitur sub id tēpus sacerdotiū cōiugio, nō cōiugiū priori sacerdotio, vsq; dū frugibus iā adultis falce seges resecāda foret. Datūq; est in mandatis, vt ad ordines sacros non eligantur, nisi vel virgines, vel vidui & proposito ac voto, simúlq; ecclesię catholico instituto in æternū pudici. Id quod elegāti carmine expressit Arator in Actis apostolicis

Ecclesiæ nunc alma fides sine fine pudicos
Pontifices iubet esse suos: & quærit in omni
Cauta tribu quos rite probet: nec sanguinis iste,

Sed meriti succeſſus erit.

Attendentes igitur eccleſię proceres, quòd quos noctu dieq́; oportuit pro plebe orare, oporteret etiã & mũdiores eſſe, & nuptiali ſolicitudine carere (vt cenſuit Ambroſius priore ad Timoth. 3.) hanc ſacerdotio legẽ indixerũt, vt nec coniugiũ ſacerdotio, nec ſacerdotium accederet coniugio: tãetſi nonnũq̃ ſacerdotiũ ſuccedere poſsit, cõnubio alterius partis morte diſſoluto. Iam ſi quis furibundus opponat humanã eſſe huiuſmodi conſtitutionẽ ac ſanctionẽ: fateor illud quidẽ, ſed quã nemo in eccleſia euertere poſsit: vt quę ſit ex diuini iuris fontibus hauſta, quo ſcilicet iure cauetur, Mũdi eſtote, qui fertis vaſa domini. Veluti ſiquis ſinũ Perſicum aut Indicũ vocet, qui tamẽ vere pars eſt maris Oceani: ita & vniuerſalis cõſtitutiones eccleſiæ humanitus quidem promulgatæ ſunt, ſed diuinitus excogitatæ & infuſæ mẽtibus humanis, vt non puræ & humanæ, verũ quadãtenus diuinæ appellãdę ſint: quemadmodũ ſinuũ receſſus ab Oceani appellatione non prorſus abhorrẽt. Et vt riuus ꝓcedit à ſcaturigine fõtis, ita & hęc inſtitutio à iure diuino: præſertim cùm per eccleſiã lata ſit, quæ nec in fide, nec in moribus errat, & cui omnes ſubeſſe oportet. Ius ergo humanum eſt, ſed diuino annexũ. ſponſæ lex eſt, ſed quæ nunq̃ præſente careat ſpõſo. Cui inſtituto eccleſia occidẽtalis adhæſit: hoc cauens, nequis deinceps ſacris inſigniretur ordinibus, niſi qui ſpõte cœlibatũ amplecti vellet & ita amplecti, vt ad continentiã poſthac ſeſe adſtrictũ vel ſuo ſilentio profiteretur: cùm illi ꝓponitur, vt aut ordini cedat, aut expectationi futuri cõiugij. Quã in re nullus queri poteſt ſibi aut illatum dolum, aut factam iniuriam, cùm ſcriptum ſit, Multo melius eſt non vouere, quàm poſt votum promiſſa non reddere, Eccleſiaſtes quinto.

Vt autem grunientium porcorũ ſtrepitus ſupprimatur, qui ex Epicuri grege prognati Chriſtianorũ nomine gloriantur: quos propria malitia ita excæcauit, vt quærant impietatem in domo iuſti, ſuis pedibus ſancta conculcantes: docẽdum eſt hanc legem ex omni parte iuſtam eſſe, & nulli adferre iniuriam, quando nemo cogitur. Nemo enim cògi poteſt ad aſperiorem vitam, niſi ſibi fecerit præiudiciũ: alias in pœnam peccati cogeretur ad ſeueriorem viuendi

ritum, vt est in cap. Præsens. 20. quæst. 3. & in cap. Puella, 20. quæst. 2. vbi sola taciturnitas facit præiudicium. Hic autem nemo cogitur, vt præclare docet Bernardus in tractatu de dispensatione & præcepto his verbis, Regula omni homini proponitur, imponitur nulli: prodest si deuote suscipitur, & tenetur: non tamen, si non suscipitur, obest. Quod autem in voluntate est suscipientis, non in potestate proponentis, volũtarium merito dixerim, non necessarium. Attamen hoc ipsum quod dico voluntarium, si quis ex propria voluntate semel admiserit, & promiserit deinceps tenendũ: profectò in necessarium sibi ipse conuertit, nec iã liberũ habet dimittere, quod ante tamẽ non suscipere liberũ habuit. Ideoq; quod ex volũtate suscepit, ex necessitate iam tenebit: quia omnino necesse est eũ reddere vota sua, quæ distinxerunt labia sua: & ex ore suo aut condemnari iam aut iustificari. Hæc ille. Et ob eam causam non ociose legislator Moses Exod. 18. cap. retulit in literas, Quòd cùm cętera de manu sua indumenta altaris ministri reciperent, fœminalia tamen seu subligacula quisq; sibi de more aptabat: vt hinc intelligeremus nemini iugũ castitatis imponi, quin potius onus illud vnũquenq; sciẽtẽ ac volentẽ pro arbitrio in se recipere. Subligacula enim sibi quisque aptabat, nemo alteri. Neq; aliud diuus Paulus voluit, cùm diceret, De virginibus præceptum non habeo: cõsiliũ autem do. Nam de cęteris ornamentis ita legimus, Porro filiis Aaron tunicas lineas parabis, & baltheos ac tiaras in gloriam & decorem: vestiésque his omnibus Aaron fratrem tuum, & filios eius cum eo. Secus de fœminalibus. Facies inquit, fœminalia linea, non vt eos induas, sed vt ipsi ea sibi componentes operiant carnem turpitudinis suæ à renibus vsque ad fœmora, & vtentur eis, quando appropinquant ad altare, ne iniquitatis rei moriantur. Hæc igitur aptandorum subligaculorum religio manifeste probat cœlibatum assumi non tam alieno imperio, quàm priuato eius, qui ordinatur, arbitrio.

Vt autem obiter dicam, casu accidere potest, vt quis libertate coniugii priuetur etiam inuitus publicæ vtilitatis causa: cuius tuendæ gratia etiam vita exponenda est: sicut membrum, ne reliquum corpus pereat, periculo se

opponit naturali quodam instinctu. Quemadmodum si quis expressis, non tamē animo conceptis, matrimonij verbis coniugium se velle inire simularet: in fauorem tamen matrimonij consentire cogitur, nisi prius consenserit. alioqui nulla esset in contractibus humanis firma securitas, & naturalis fœderis regula semper & vbique nutaret, si audiretur, suam simulationem profiteri volens. Nam cui nō creditur prius affirmanti, nec credendum est etiam neganti. Pari certe ratione in voto emisso, aut habitu religionis per annum gestato, aut si vxor coniugem viderit ad meliora vota transire, dissimulando sibi præiudicium facit: & vbi antea continentiæ non consenserit, consentire cogitur. aliâs fenestra aperiretur dissolutioni votorum omnium, nec vlla esset in huiusmodi sacris ritibus fixa perseuerantia. His casibus ad partem relegatis, sua cuique manet aut continendi, aut secus, integra libertas: quę in nullo læditur, etiam si conditio aliqua honesta, vtputa deinceps continendi, sacro ordini annectatur: exigenda ab his, qui sese deinceps offerent paratos huic prouinciæ subeundi. Nam qui accedunt, nulla offenduntur iniuria, si eis ordo denegatur, ad quem nihil adhuc iuris habent, nisi præstita promissâue quæ eis præstanda declaratur, conditione. Frustra igitur queritur sibi factam iniuriam, cui denegatur id, in quo nihil iuris habet. Iam quàm recte annexa fuerit ordini sacro huiusmodi cōstitutio cœlibatus, vel hinc patet, quòd optimus quisq; officio tam insigni vix censeatur idoneus. Quid igitur mirum, si honestis conditionibus ad perfectiora inuitentur ordinandi? Interuenit ecclesiæ authoritas, quæ in fide & moribus non fallitur. Leuissima quęque collegia honestas posteritati cōditiones imponere possunt & leges: quas nisi quis receperit, suo cōsortio censeatur indignus. Iniqua foret conditio ecclesiæ & grauiter onerosa, si staret in sacerdotio coniugium. Nam sacerdotia ipsa deuoluerentur ad filios plerunque inutiles futuros, neglectis vtilioribus: qui ad id officium eligendi venirent. Nec vnquam sacerdotium aliquod ab hæreditaria possessione eximi posset sine dura & graui querela: aliâs filij bonis paternis inhiantes, cum summa inopia & inedia calamitosam vitam ducerent. quibus incommodis solus medetur cœli-

batus. Ideoque hanc prouidam legem eleganter commendat Arator poeta, dum exigit à sacerdotio castitatem, vt habeat quos rite probet: nec hæreditate, sed prouida electione possideatur sanctuarium Dei. Iusta igitur & sancta est lex cœlibatus instituti, quæ multa secum adfert perfectionis morumque compendia: nemini ius suum adimit, & plurima dispendia vitat. Nec obstant qui interim committuntur abusus. Non enim culpa vini est, sed culpa bibentis. Aliàs cœlum & ipsa elementa de medio tollenda venirēt, à quibus pestilentissimus aer nonnunquam oboritur, totū quandoque orbem magna ex parte vsque ad internecionē vexans & flagellans. Sicq; tollenda esset ab hominibus voluntas ac libertas: quæ nisi adesset, infernus non foret. Tolle (vt Augustinus ait) libertatē, infernus non erit. Hæ sunt pseudoeuangelicorum stupidissimæ argutationes, plūbeaque ac stupida iacula: quibus nihil imbecillius aut dici aut cogitari potest. His certè incantationibus & carminib⁹ Circe socios mutauit Vlyxis, nempe ex hominibus in porcos, ex catholicis in hæreticos. Vt autem Grilus ille apud Plutarchum nulla ratione adduci potuit, vt abiecta feritate humanitatem resumere vellet: cui non solum vita porcina placebat, imo vero multis probris humanę sortis conditionem insectabatur, hoc ipsum nostris hæreticis accidit. Qui quum ratione & honestate catholicos à bonis institutis diuellere non possint; scommatum ac blasphemiarum plaustra sibi vndecunque coaceruant, vt vel solo odore vel gustu continentiæ sacerdotalis prætereuntibus immittant fastidium. Quòd si circumspectos & oculatos suis nequeant irretire sermonibus, fumós saltem offundant incautis, & hoc ab improbis impetrent, quod modestioribus persuadere nequeunt. Verùm illis relinquamus suos deos iratos.

Non incongruum fuerit hoc loco Orientalis ab Occidentali ecclesia varia instituta, variumque ordinem, suis distinguere limitibus. Cuius rei apicem diligenter exequitur Cardinalis de Turre Cremata in capite, quod autem, vicesimaseptima distinctione. Rem autem paucis accipe. Hoc inter Græcos conuenit & Latinos, quod in minorib⁹ seruientes à coniugali copula non absterrentur: qui maio-

res vero semel adepti sunt, ad matrimonium contrahendũ prorsus sunt inhabiles. Maiores appello à diaconatu supra. Fuit enim quando subdiaconatus non dicebatur sacer ordo, nempe vsque ad tempora Gregorij Magni. Sic enim ab apostolis traditũ est, vsuque perpetuo receptũ, ne quis maioribus inauguratus ordinibus, habilis sit matrimonio con trahendo. Hoc docet apertè sextæ synodi canon, ad Græcos etiam pertinens, Si quis eorum. distinct. 32. & cap. presbyteris. distinct. 27. capite etiã, Cũ in preterito. distinct. 88. In hoc autem discrepat Occidẽtalis ecclesia ab Orientali, quòd Orientalibus connubio iunctis licuit & licet ordinum & coniugij vti officio. Id quod Occidentalibus licuit, licet reclamantibus (sed non prorsus efficaciter) sacris Pontificibus, adusque tempora Syricij & Innocentij primi. Qua tempestate lege cautum est, ne deinceps ad ordines sacros coniugia reciperetur. Hoc docet Stephanus Papa in cap. aliter. 31. distinct. vbi verbum copulantur, pro vsu copulæ accipitur, non pro matrimonio. Græcorum autem vsus digestè traditur eadem distinctione, in capite Nicena synodus. Item & in cap. quoniam. ex sexta synodo, quæ tempore Agathonis Papæ edita fuit. Occidentalis autem regulæ tenor & obseruatio præter cap. nuper citatũ, Aliter. declaratur in cap. assumi. & in capite præterea, 28. distinct. simulque in cap. proposuisti. & cap. plurimos. distinct. 82. sed maxime in capite, ante triẽnium. 31. distinct.

Hæc sunt, in quibus conueniunt ac discrepant Orientalis ecclesiæ ministri ab Occidentalibus. Vnum tamẽ suboritur dubium, Si licuit Orientalibus Grecis ferulæ manum subducere, ac legem de cœlibatu à suo cœtu repellere: cur non idem possit licere Latinis, vt scilicet communi consensu à se abdicent cœlibatum, vbi saltem maior pars consentiat, præsertim quum in cap. Nicena synodus, plus effecerit dissensus vnius, quàm consensus multorum, & potior sit conditio prohibentis? Prompta est ad id responsio, quòd lege iam lata, & caussa eadem legis manente, vt spirituali cuique viro apparet, qui solus iudex est idoneus, nullus est iam recantationi locus. Secus est dum lex primùm statuitur, & antequam plenè stabilita sit. Nec aliquid proferri potest, vti ex dilutione

contrariarum rationum constat, ob quod inuerti debeat, aut mutari pium sane, vtile, decorum, honestum, expediens (vt multis rationibus demõstratum est) & apprimè religiosum consilium. Græci vero an optimam partem elegerint, ipsi viderint, qui à consilio Diui Pauli recesserunt. Non damnamus Græcos: verum Latinorum canonem de cœlibatu rectè stabilitum, ideóque amplectendũ, etiam priscorum patrum consensu adseueramus.

Patrum series, qui cœlibatum sacerdotio copulandum censuerunt.

IAM tandem videtur opportunum patrum seriem texere, qui suis canonibus ac decretis cœlibatum cum sacris ordinibus coniunxerunt, iunctum auxerunt, auctũ illustrarunt: eorum videlicet, qui post Christum dominum huius cœlibatus institutorem, eiusque primipilum strenuúmque buccinatorem Paulum, & castitatis & continentiæ antesignanum indefessum, in hac cœlibatus acie egregiam nauarunt operam. Occurrit itaque post collegii apostolici ordinatissimam aciem, Pontifex, & martyr Calixtus anno à parta salute ducentesimoquarto: qui matrimonium sacerdotibus interdixisse, edito etiam super hoc canone, manifestè deprehenditur distinct. 27. in cap. presbyteris. Vbi presbyteris, diaconibus, subdiaconibus & monachis cõtrahenda prohibet connubia. Et inde deductum est solenne illud placitum, Votum solenne, seu monachatus, seu ordinis sacri, dirimere matrimonium contractum, & impedire contrahendum. Qua de re suo loco differetur. Huius lateri continuo Diuus Vrbanus adhæsit pontifex ipse ac martyr sub annum Domini ducẽtesimũvigesimum. Is, inquã, ipse, qui præclarissima castitatis semina in Sicilia seminauerat, Calixti edictũ non tantum probauit, sed auxit. Nullum enim ad episcopatum assumendũ censuit, nisi qui aut presbyter, aut diaconus foret. Extat super hoc canon, Nullus in episcopatum 60. distinct. Qui & paupertatis votũ mira dexteritate illustrauit: id quod sua decretalis epistola

docet,prolato in hoc Ananiæ Sapphirę́que exemplo. Vbi communem vitam eligere volentibus de rebus ecclesiæ prouidet, ne quis inter eos egens inueniatur. Non procul ab his vt tempore,ita & proposito abfuit Diuus Stephanus,vtraq; redimitus corona,martyrii videlicet ac pontificatus. Qui vt cœlibatus candori alluderet,sacrarum vestiũ vsum adiunxit:vt est in cap. vestimenta, de consecratione distinct.prima. Anno post hæc circiter quadringentesimo duo ingentia lumina orbi affulserunt Syricius & Innocentius pontifices summi: quorum edicta recensentur, ac canones plerisque locis. Nam Syricij buccina tonat, præter suæ decretalis caput septimum & octauum, in cap. plurimos.& cap.quia aliquanti.82.distinct. Quo interim loco aduertendum tunc temporis non fuisse vsqueadeo puritati addictum subdiaconatus ordinem, vt nuptijs vacare non posset.Nam primum sacer esse cœpit sub ætatem Gregorii Magni circiter annum domini sexcentesimũ. Syricio protinus accessit Innocentius primus,auxiliaribus copijs decretaliũ epistolarũ elegantissime fultus,ad Victriciũ Rothomagensem(aliàs Victoricum)super ea re sua decreta diriĝes. Qui Victoricus fuit in catalogo præsulũ Rothomagensiũ numero octauus. Recẽsetur hui⁹ Innocẽtij edictũ ad Victoricũ,quẽ Gratian⁹ Victorinũ appellat.31:dist. in cap.tenere. Nec dissimile est, quod sequenti epistola ad Exuperium Tholosanum episcopum scribit,recensitum à Gratiano, octogesima secunda distinctione, capite proposuisti. Vt autem sciamus,quorum suffragijs suffulti fuerint hi sacri Pontifices, constat ex ratione temporum eorum subscripsisse sententiæ clarissimos præsules ac doctores Chrysostomũ,Hieronymũ, Ambrosiũ, Augustinũ. Extat epistola Ambrosii ad Syricium epistola.81. qua Iouiniani dogma omnibus suffragijs damnãdum esse docet. Iouiniani Vigilantijque confutationes à diuo Hieronymo editæ,variáque diui Augustini pro cœlibatu propugnacula omnibus sunt in prospectu. Dixisses illam ætatem in hoc à domino fuisse pleno exercitu instructam aduersus grunientium porcorum morsus alioqui sæuissimos.

Et tamen quum hæc satis esse debuissent cuius etiam auidissimo, ac rerum cupidissimo nouarum,commo-

dùm accefsit magnæ virtutis & nominis Leo huius nomẽclaturæ primus. Qui si forte pares eloquentia habuerit, vix reperias cui cedere debeat in tota Romanorum acie põtificum. Qui inquam de sacris ordinibus priorum confirmat sententiam ad Ianuarinm Aquileiensem scribẽs, recensente etiam Gratiano in cap.omnium sacerdotũ.xxxii. distinct. Quo loco & episcopatum ordinem vocat, & subdiaconis etiam continentiam indicit.idque ante diui Gregorii tempora, nempe sub annum domini quadringentesimum quadragesimumquartum. Verum lex nõ statim, cum promulgatur, obligat: sed tum primum vim obligandi habere cœpit, cum vsu recepta creditur, diui scilicet Gregorii ætate.

Hinc erit transitus ad annum domini sexcentesimum, quo magna eruditione, neque impari virtute floruit Gregorius ille cognomento Magnus. Cuius insignis probitas & auctoritas ei soli incognita est, qui nihil nouit. Huius auctoritate, quæ ad præsens vsque perseuerat, ab episcopatu vsque ad subdiaconatum inclusiuè annexus est cœlibatus. Cuius sententiam enarrat Gratianus in cap.ante trienniũ. distinct. xxxi. Quo loco à Pelagio præcessore suo editum canonem, videlicet Ante triennium, partim confirmat, partim aut tẽperat aut elidit. Id quod declarat de Turre Cremata super eo ipso cap.ante trienniũ. A cuius canonis promulgatione tandem inualuit moribus vtentium vsurpata consuetudo. Et id quidem pro Occidentalibus. Nam quid Orientalibus congrueret, docet cap. Nicena. ex historia tripertita, & cap.quoniam. ex sexta synodo tempore Agathonis congregata circiter annum domini sexcentesimum sexagesimum. Item & cap.aliter. ead. distinct. ex authoritate Stephani primi.

Sequitur deinde Martinus, quem ponè sequutus Eugenius, cœlibem, vt historiæ tradunt ordini sacro vitam indixit, & vt iuxta ecclesias proprias domicilia sacerdotum construerẽtur, instituit. xii. quæst. prima cap. necessaria est. Is autem, quem diximus, Martinus circiter annum domini sexcentesimum quinquagesimum canonem edidit, cuius initium est, Diaconus. xxvii. distinct. Ex cuius oraculo cõstat, quòd silentium promouendi habetur pro consensu ad

cœlibatum. Nam cœlibatus adeò annexus est ordini, vt alterum sine altero, hoc est posterius sine priore non recipiatur ab eo, qui scit & audit. nam & hoc loco tacens consentiẽtis personam induit. Cui succinit cap. Diaconi. distinct. xxviii. Sic tacẽs de ĩcõtinẽtia, clamare cẽsetur de cõtinẽtia: & tacẽdo nonnunquã loquimur. Et de hoc in cap. feriatim. xxxii. distinct. Vbi etiam dicitur, ꝙ viro vouente cum solẽnitate, mulier facti conscia etiam tacẽs vouisse intelligitur.

Nicolaus deinde primus, dum maiorum suorum decretales approbat, vt est in cap. Romanorum. xix. distinct. quid aliud quàm cœlibatum statuit? Nec eo contentus oraculo, aliud præterea edidit super castitate monastica in cap quod interrogasti. xxvii. distinct. scribens ad Albinum Viennensem archiepiscopum, & id circiter annum domini octingentesimum sexagesimumtertium.

Anno deinde millesimo quinquagesimo huic sacræ institutioni de cœlibatu sua authoritate adfuit & præfuit Leo nonus pontifex, Tullensis primum episcopus, vita insignis, miraculis clarus: cuius dicta recensentur in cap. omnino confitemur. xxxi. distinct. Quo loco citans pontifex verba Pauli priore ad Corinth. nono, nequaquam ita intelligendus est, vt voluerit Paulo attribuere vxorem. Vnde & rectè Primasius ait; Habemus potestatem sororem mulierẽ circunducendi, quæ scilicet nobis ministraret. Non dixit, ducendi tanquam vxorem; sed, circunducendi tanquam sororem & adiutricem, ne quis de vxore sua ipsum dixisse putaret. Nam illæ mulieres comitabantur apostolos, vt eos suis bonis iuuarent; quæ bona ab eis pro mercede prædicationis recipiebant. Ergo erant sorores, non vxores. Quod vel ex eo constat, quòd Iacobus & Ioannes carebant vxoribus. Non ergo circunducebantur vxores, sed sorores. Adde, quòd apostoli non accepissent præmium à suis vxoribus, quas nutrire potius debuissent. Hoc apertè dicit Augustinus lib. de opere monachorum, dicens. Ad hoc fideles mulieres habentes terrenam substantiam ibant cum Apostolis, & ministrabant eis de substantia sua, vt nullius indigerent eorum, quæ ad necessaria huius vitæ pertinẽt, iuxta illud Lucæ, Erat Maria, quæ vocatur magdalene, & Ioãna vxor Chusę procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ mul-

tæ, quæ ministrabant eis de facultatibus suis. Idémque Augustinus subiungit, Hoc quidem non intelligentes, pro muliere coniugem interpretati sunt, sed fefellit eos verbi Græci ambiguitas, quòd scilicet & vxor & mulier eodem verbo Grçcè dicitur, quanquam hoc ita posuerit apostolus, vt falli non debuerint: quia neque mulierem tantummodo ait, sed sororem mulierem: neque ducendi, sed circunducendi. Veruntamē alios interpretes nō fefellit hic ambiguitas, & mulierem non vxorem interpretati sunt. Quod quisquis putat non potuisse ab apostolis fieri, vt cum eis sanctę cōuersationis mulieres irent, quacunque euangelium prædicarent, vt eis de sua substantia ministrarent necessaria: Addam & illud ex Theophylacto: fœminæ vtique locupletiores sequebantur apostolos, illisque & necessaria subministrabant, & vacuos quibusuis curis reddebant, vt prædicationi duntaxat intenderent vires. Hoc antidoto lectorem præmuniendum esse visum est, ne quam errandi ansam ex eo canone arriperet.

At verò Vrbanus secundus, qui circiter annum millesimum centesimum ex Cluniacensi monacho pontifex effectus est, canonem edidit, quo subdiaconatum inter ordines sacros, hoc est continentiæ perpetuę addictos adnumerat: vt est in cap. erubescant. xxxii. distinct. Edidit & aliud cap. eos qui. quo concubinas etiam pœna seruitutis coercet.

Qui deinde Vrbanum sequuti sunt pontifices, omnes penè ad vnū vsq; ad Gregorium nonum egregiā nauarunt operam in tuendo fouendóque cœlibatu, & componendis sacerdotum moribus, vt ex plerisque decretalium titulis ac capitulis perspicuum est. Præsertim in ea arena diligentissimè vehementerq; sudarunt Innocētius secūdus, Alexanderque & Honorius ea appellatione tertii. Quibus vtpote spiritualibus viris potius, quàm carnalibus istis nuptiatoribus fides adhibenda est. Vt interim omittam examen catholicorum doctorum in hanc ipsam sententiam vno consensu conspirantium, vt mirum fit, qua audacia, vt ne dicam impudentia, leuissimorum hominum colluuies hac ætate insurrexerit, quæ obuiam ire audeat. Quæ omnia idcirco dicta sint, ne quis rationis temporum ignarus existimet institutum de cœlibatu recēs inuētum à neotericis aut

præfulsibus, aut synodis. Iam enim nemo id ignorare poterit, qui vel calculum temporum mente collegerit. Poteram & conciliorum catalogum inducere super huiusmodi cœlibatus instituto, nisi scirem plura recēseri à Gratiano xxviii. distinct. toto penè decursu. Insuper & xxxi. ex quibus cætera colligi promptissime poterunt. Huc etiam spectant canones, qui in tota causæ. xxvii. quæstionis primę area sparsim leguntur tam ex conciliorum, quàm pontificum manifestis sententiis ac decretis. Denique in concilio Carthaginensi quarto cap. centesimo decimoquinto ita legimus, Si quæ viduæ se deo denouerint, & in religioso habitu apparuerint, & postea transierint ad nuptias: secundum apostolum damnationem habebunt, quia primam fidem irritam fecerunt, vt vel hinc ognoscere possis de mente Pauli fuisse votum continentiæ perpetuum sensu per ecclesiam approbato. Et hanc quidem mentem in Paulo agnoscit Augustinus, qui ait, Quid est dicere, primā fidem irritam fecerūt? hoc est votum, quod in viduitate emiserant de castitate seruanda; violauerunt, cum post tale votum emissum, nupserunt. Huc conspirat concilium Toletanum quartum similibus penè verbis, Viduæ nempe astrictæ voto, si ad nuptias transierint, iuxta apostolum non sine damnatione erunt. Et de hoc voto continentiæ Augustinus ad Armentarium suum interponens iudicium, ait, Priusquam esses voti reus, liberum fuit vt esses inferior: quanuis non sit gratulanda libertas, quā fit vt non debeatur, quod cum lucro redditur. Nunc verò, quia tenetur apud deum sponsio tua, non te ad magnam iustitiam inuito, sed à magna iniquitate deterreo. Non enim talis eris, si non feceris quod vouisti: qualis mā-sisses, si nihil tale vouisses. Minor enim tunc esses, nō prior. Modò autem tanto, quòd absit, miserior, si fidem deo fregeris, quanto beatior si persolueris. Nec ideo te vouisse pœniteat, imò gaude iam tibi sic non licere, quod cum tuo detrimento licuisset. Aggredere itaque intrepidus, & dicta imple factis, ipse adiuuabit, qui vota tua expetit. Felix est necessitas, quæ ad meliora compellit. Hæc Augustinus. Ex his palàm est votum continentiæ perpetuum ex mediis scripturæ fluentis haustum esse, non (quod hæretici impudenter aiunt) humanum fuisse inuentum. Accedit ad cumulum

eiusdem August. sententia de fide ad Petrum cap. 3. Secundum apostoli dictum, qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem: potestatem autem habens suæ voluntatis, & vouerit continentiam deo, deo debet eam vsque in finem tota mentis sollicitudine custodire, ne damnationem habeat, si primam fidem irritam fecerit. Similiter & coniugati viri & coniugatæ mulieres, si ex consensu perennem deo vouerint continentiam: nouerint se sui voti obnoxios detineri, nec iam sibi debere commixtionem carnis, quam primitus licitam habuerunt, sed deo se debere continentiã, quam vouerunt. Idémque cap. vigesimonono lib. de sancta virginitate, votum perpetuum his verbis commendat. Præsumite itaque, fidite, roboramini, permanete qui vouetis, & redditis domino deo vestro vota perpetuę continentiæ, nõ propter præsens seculum, sed propter regnum cælorum. Et huius rei fidem perficit & auget idem ipse Augustinus ad Pollentium lib. primo cap. 24. Non solum autem mœchãdum non est, quod facit non quidam, sed omnis qui dimittit vxorem suam & ducit alteram, etsi propterea duxerit vt faciat Christianam, sed etiam quisquis non alligatus vxori continentiam deo vouerit, nullo modo debet ista compensatione peccare, vt ideo credat vxorem sibi esse ducendam: quia promisit, quæ nuptias eius appetit, futurã se esse Christianam. Quod enim cuiquã antequam vouisset, licebat, cũ id se nunquã facturum vouerit, non licebit, si tamen id vouerit quod vouendum fuit, sicut est perpetua virginitas, vel continentia post experta connubia solutis à vinculo coniugali, vel ex consensu viuentibus & carnalia debita sibi inuicem relaxantibus, fidelibus castisque coniugibus, quod alterum sine altera, vel alteram siue altero vouere phas nõ est. Hæc ergo, & si qua alia sunt, quæ rectissime vouentur: cum homines vouerint, nulla conditione rumpenda sunt, quæ sine vlla conditione vouerunt. Quia & hoc dominum præcepisse intelligendum est, vbi legitur, Vouete, & reddite domino deo vestro. Vnde & apostolus de quibusdam, quæ continentiam vouent, & postea nubere volunt, quod eis antequam vouissent, vtique licebat. Habentes (inquit) damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt. Nihil ergo expedit quod illicitũ est, & nihil quod prohibet

dominus, licitum eſt. Et vt finem citandorum ex Auguſtino lccorum faciam,quid in pſalmum ſeptuageſimumquintum ipſe pronunciauerit,referamus. Sunt vota propria ſingulorum. Alius vouet deo caſtitatem cõiugalem,vt præter vxorem ſuam nõ nouerit aliam, ſic & fœmina vt pręter virum ſuum nõ nouerit alium. Alii etiam vouent,etſi experti tale cõiugiũ,vltra nihil tale pati, nihil tale cõcupiſcere aut ſuſtinere,& ipſi vouerunt aliquid maius quàm illi. Alii virginitatem ſuam ab ineunte ætate vouerant,vt nihil tale vel experiantur, quale illi experti ſunt, & reliquerunt, & iſti vouerunt plurimum. Alii vouent domum ſuam eſſe hoſpitalẽ omnibus ſanctis aduenietibus,magnũ votum vouent. Alius vouet relinquere omnia ſua diſtribuẽdo pauperibus, & ire in cõmunẽ vitam,in ſocietatem ſanctorũ,magnũ votum vouit. Vouete & reddite domino deo veſtro. Quiſque quod vouere voluerit,voueat,illud attẽdat,vt quod vouerit, reddat. Vnuſquiſque deo quod vouet, ſi reſpicit retrorſum; malũ eſt. Hæc Auguſtinus. Poſt hanc itaq; veritatẽ in tanta luce repertã quiſquis vlterius diſcutit,in luce caliginem, in veritate mẽdacium quærit. Illud enim certo certius eſt,ꝙ ſi ſacri inſtitutũ cœlibatus diuinæ diſplicuiſſet maieſtati, nec huiuſmodi cõtinẽtium vitã heroicis decoraſſet virtutibus, nec mortẽ miraculis illuſtraſſet. Cõſtat enim vel ipſius ineluctabilis veritatis auctoritate vnãquanq; arborẽ à ſuo fructu cognoſci. Gratũ igitur ſemper fuit monaſticũ,ſi ritè ſeruetur,inſtitutũ, ex quo veluti ex equo Troiano, clariſsimi toto orbe Chriſtiano heroes prodiere. Vt iam mirũ ſit,poſt tã inſignia documẽta quis letheus ſorpor noſtræ ętatis hęreticos detineat:quis lethargicus ſtupor mentẽ eorũ obſcuret,vt ea damnẽt,quę potius ſuſpicere,admirari,laudibúſq; in cælũ tollere debuerãt,niſi ꝙ excæcauit eos malitia eorũ, & vt ſapiens ait,In via ſtultus ambulans,cum ipſe inſipiens ſit,omnes ſtultos æſtimat. Adeò procliue eſt ſtupidis ac deliris iſtis hominibus reliquos ſuo pede metiri, & ex ſeipſis tantũ de aliis ſumere cõiecturã, quaſi nemo illuc attingere poſsit,quò ipſi luto infixi,humiq; repẽtes, ſuiſque inuiſcati ſceleribus nequeant aſſurgere. Huc commodũ ſe offert aſſuendũ,& (vt ſic dicã) agglutinãdũ virginitatis encomiũ ex Hildeberto Cenomanẽſi epiſcopo ad quandã recluſam.

Quænã(inquit ille)quies esse potest animę,cui vel maritus est pro supplicio,vel conscientia pro flagello? His accedũt innumeræ formandi seminis molestiæ, quæ cõceptũ nunciant,naturam persequũtur. Vultũ pallor inficit,caput vertigine fatigatur, renũ dolor assiduus, stomachi frequẽs indignatio. Esuritur etiam inter delicias, & quibusdã nubeculis circumuolantibus oculi tenebrescũt. Hæc & alia nuptiarum incõmoda,quę numerare longum ducens apostolus,Tribulationẽ,inquit,sustinebunt huiusmodi. Nec tamẽ nuptiis detraho,sed labori requiẽ, seruituti præfero libertatẽ. Virginitas enim quędã carnis libertas est,nihil illi debens seruituti,de qua dicit apostolus, Mulier nõ habet potestatem corporis sui,sed vir. Virginitas maritalis ignara negotii,nõ labores puerperę,nõ noui partus spurcitias experitur. Virginitas vigilias nutricis ignorans q̃ multa suppellectile, quibúsve sorbitiunculis alũnus indigeat, nõ inquirit. Virginitas cõtenta paruo,solicita est pro natura,nõ ambitiosa pro matrona. Virginitas curarũ est silentiũ,pax carnis,vitiorũ redemptio,virtutũ principatus. Virginitas angelicam redolens cõuersationem cantat canticũ nouũ, canticum felix, canticum quod nemo potest dicere præter eos, qui cũ mulieribus nõ sunt coinquinati. Cantat aliquid virgo,quod vidua cantare nõ potest,quod nõ potest cõiugata. Quicquid autẽ cõiugata cantat vel vidua, totũ potest cantare virgo. Porrò canticũ omnium laudem creatoris & actiones intellige gratiarum. Laudant ergo Christum virgines Christi,laudant viduæ,laudant etiã coniugatę. Laudãt cõiugatæ:quia ex eo habent,ꝙ vel nubunt pręter culpam, vel operibus misericordiæ redimũt,quã nubendo cõtrahũt culpã. Laudãt viduæ,quia ex eo habent,ꝙ ex parte nuptias secundũ deũ,denuò dedignãtur nubere propter deũ. Laudant innuptæ:quia ex eo habent, vt quibus licuit hominibus nubere virginibus spiritu,deo nubere mallent & carne virgines & spiritu. Ecce sacrarum virginum canticũ sacrũ, canticum non vetus,sed nouum,non illius scilicet Adæ,in quo & per quem mentis & carnis corrupta est integritas: sed eius,in quo & per quem non solum sanata, sed etiam super angelos glorificata est humanitas. Huius laus & exultatio virtus, canticum est quod ignorant viduæ, quod ne-

sciunt coniugatæ. Cæteris nimirum virtutibus exultare pos sunt, & agere viduæ bonæ gratias: possunt etiam nuptæ, si tamen bonæ. Ex virginitatis autē bono nec nuptæ possunt, nec viduæ quanuis bonæ. Solis virginibus virtus est ista à Christo, Soli istius præmium virtutis & à Christo & cum Christo. Cum Christo quippe cõmunem quodãmodo sortiũtur coronã virgines Christi, quæ solæ iuxta Ioannē sequũtur agnum quocunq; ierit. Hũc agnum viduitas quidē sequitur, sequitur etiã cõiugalitas. Cæterum nõ quocunque ierit, vel iugalitas eum sequitur vel viduitas. Vtraq; etenim cęterarũ virtutum tramite sequi potest agnũ, quoniã potest imitari Christũ. Per virginitatis verò semitã neutra potest agnum sequi: quoniam Christũ neutra potest imitari. Virginitatis enim reflorationē sperare, naturæ obliuio est. Cãtant enim canticũ nouũ solæ virgines Christi. Solæ sequũtur agnum quocunq; ierit. Quibus quippe fuit cũ Christo quoddam virginitatis participiũ, quoddã est & in præmio consortiũ. Sub hoc autē sponso fœcũditatē nõ impedit integritas, nec famulante cõcupiscentia filii procreãtur. Beatum sane coniugiũ non cotidianis onerosum molestiis, nõ de christiano sollicitũ, nõ virginitati suspectũ. Beata nimirum sponsa, cuius pudor dũ concipit, nõ deperit: dũ generat, nõ laborat. Beatissimus etiã sponsus, cui, nisi cohæreat nulla virgo est, nulla casta, nisi eũ diligat: nulla libera, nisi ei seruiat. Eius amore nihil honestius, quo nec regia erubescit sublimitas. Eius amplexu nihil mirabilius, ex quo parit, nec perit virginitas. Eius prole nihil viuacius, cum qua nulla propagatur mortalitas. Eius dote nihil vtilius, in qua sufficientiam comitatur æternitas. Is in sponsa sua transitoriam non quærit pulchritudinem. Non intexto vestibus auro, non splendore natalium gloriatur. Affectatus decor & quicquid aliud quàm quod natum est, oculos fascinat intuentes: odium prouocat, non gratiam: repudiũ, non fauorem. Ille nimirum deformem non aspernatur speciosus forma præ filiis hominum: pauperi lubens copulatur, diues in omnes qui inuocant illum, distortas amplectitur & gibbosas, cui semper oculus simplex totum corpus lucidum facit. Generosa non attendit nomina, generationem eius quis enarrabit? In decrepitas ardet aniculas primogeni-

tus ante omnem creaturam. Nullam sterilitatis arguet, qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætãtem. Vnde tamen est, quo ille sponsam ablactat, & propriam dif fitetur. Huius etenim ratio dissidii sola mentis est corruptela. Mentis deformitas offendit virum, sponsalia diripit, abiudicat dotem, eliminat introductam. Mentem tuus amans explorat, & ex eius qualitate vel dictat repudium, vel maritum pollicetur. Huic autem suspecta est superbia : nec fieri potest, vt cum eo in gratiam reuertatur. Diuersum est vtrisque hospitium, nec in eodem cohabitãt animo, quibus non licuit cohabitare in cælo. In cælo nimirum nata est superbia, sed velut immemor, qua inde via ceciderit, illuc vltra redire non nouit. Ea de supernis corruens, & parentans in terris, omnibus suis apud inferos æternam pepigit mansionem. Ipsa expressissimis & simplicibus orta substantiis, puros adhuc animos inquietat, ausa victoriam sperare de homine, quæ de angelo triumphauit. Vale atque in valle humilitatis diuinarum stillicidiis scripturarum pudicitiæ lilium ne marcescat irrigare memineris. Hæc ille.

Erant certè deo dicatæ virgines iuxta Theodoriti historiam lib. primo cap. xviii. quo tempore Helena Constantini parens, & pietatis cultrix, Hierosolymam petiit annos fermè nata octoginta. Sic enim refert Theodoritus de Helena loquens, fecit & aliud dignum memoria laudatissima illa & suspicienda regina. (Reginam vocat regiæ maiestatis parentem) Congregatis enim virginalis vitæ cultricibus plurimis, sedilibus præparatis, discumbere illas iussit, & ipsa circumiens vt famula ministrauit, cibum apponens, pocula porrigens, vinum infundens, & pelui allata aquam infudit manibus illarum. Ex his facilè intelliges sacrarum virginum choris eam non caruisse ætatem.

Constat ex his quæ dicta sunt, frequentes fuisse virginum conuentus ad tuendam conseruandámque virginitatem voto sacramentóque adstrictas. Quódque magis mireris, idem ipse Philo, quem ex Eusebio lib. octauo Polydorus citat, nobis locupletissimus testis erit Esseorum instituti tutum ac placitum sacramento fuisse firmatum, cum dicat ad huiusmodi institutum non admitti aut pueros aut ado-

lescentes propter instabilitatem ætatis, & quod sequitur, istud est. Quod igitur summè deum diligant, multa nobis argumento sunt, castitas perpetua, iurisiurãdi nulla mẽtio, mendacii odium. Et paulò mox sequitur, Nullus domũ habitat, quæ omnium communis non sit unum ęrarium, unus sumptus omnibus est, præterea vestis communiter omnib⁹ proposita, communis cibus & potus, cõmunis mensa, denique omnibus cõmunis vita. Quis hic nõ agnoscat perseuerantem vsque ad mortem & castitatem & vitę cõmunionẽ, à qua non sit liberũ resilire? Id quod manifestius etiam in fœmineo sexu idem ipse Philo docet, Christianam therapeuticen commendans à primis ecclesiæ cunabulis exortã. Cum viris (inquit) quos dicimus, sunt & fœminæ, in quibus plures iam grandæuæ sunt virgines, integritatem casti corporis non necessitate aliqua, sed deuotione seruantes, dum sapientiæ studiis semet gestiunt non solũ animo, sed & corpore consecrare, indignum libidini mancipare vas ad capiendam sapientiam præparatum, & edere partum eas, à quibus diuini verbi sacrosanctus, & immortalis expetitur, ex quo posteritas relinquatur corruptelę mortalitatis obnoxia. Obsecro, quænã foret huiusmodi vsque ad mortẽ deo sacrata virginitas, nisi voto firmata foret? An non huius voti forma præcesserat in deipara & semper intacta virgine, cũ diceret, Quo modo fiet istud, quoniam virũ non cognosco? aliàs non operosum fuerat expectare partum, nisi & in præsens & in posterũ idem perseuerasset animi institutum.

Diua Iphigenia nisi voto castitatis perpetuò se alligatam sensisset, non vsqueadeò constanter Hirtaco regi, & eius nuptias poscenti, & religionis Christianæ iugo ea lege se submittenti, postulata denegasset. Ex his itaque constat nunquã defuisse therapeutis perpetuæ continentiæ vota, vt iam non dicamus hanc votorum institutionem aut humanitus aut recens esse inuentã, quin potius cœlitus & prisco admodũ ritu ad nos vsque deriuatam: quin & omnem in hac re scrupulum diuus Paulus amputat, dum etiã viduis proprio obligatis sacramento & voto omnem nubendi facultatem adimit, vt iam nemo integra religione de votorũ obseruatione etiam ab ipsis ecclesiæ primordiis dubitare queat. Ait ille secunda ad Timotheum tertio, Adolescen-

tiores viduas deuita. & sequitur, Sibi damnationem acquirunt, quia primam fidem fregerunt. Hic quid aliud intelligi potest, nisi violatum castitatis votum, cuius fractio damnationẽ meretur? Qua de re alio etiã differitur loco. Fuit igitur ab omni æuo ante Benedicti tempora apud nõnullos, præsertim therapeutas, perpetuæ etiam castitatis professa votóq; firmata obligatio. Noster insuper Dionysius Galliarum & præsul & apostolus, therapeuticæ professionis locupletissimus testis est, cuius super hac re sentẽtias non est vt recenseam, vt quæ sint omnibus hierarchiam ecclesiasticam perlustrare volentibus obuię. Fuit etiã diui Irenęi ætas conscia huiusmodi votorum, vt quisq; agnoscat nullam ætatẽ ab ecclesia nascente huiusmodi therapeutica professione fuisse vacuam. tãtum abest, vt recens nata fuisse credatur. Nam eo ipso Irenæo authore lib. aduersus hæreses tertio, pontifex Eleutherius illius temporis assecla præsulatum tenebat Romanum, idque sub annum domini centesimũ nonagesimum plus minus. At verò Vrbanus huius nominis primus, proximè secutus videtur hęc tempora. (agnoscet quod dico, quisquis chronographiam viderit) Is inquã Vrbanus apertissimè declarat in sua decretali epistola, cui titulus, De rerũ communione, tum temporis ipsam communicationem ex professione voti fuisse obseruatam. Nam posteaquã omnes Christi baptismate renatos adhortat' est, demum ad eos descendit, qui se voto adstrinxerunt, dũ ait, Et quicunq; vestrum communẽ vitam susceptam habet, & nouit se nihil propriũ habere, videat ne pollicitationẽ suã irritam faciat, sed hoc quod domino pollicitus est, fideliter custodiat, ne damnationẽ, sed præmium sibi adquirat: quoniam satius est non vouere, q̃ votũ prout melius potest, nõ perficere. Grauius enim puniũtur, qui votũ fecerũt, aut fidẽ perceperũt, & votũ nõ perfecerũt, aut malè vitã finierũt, q̃ illi q sine voto aut fide mortui sunt, & tamẽ bona egerũt opera. I nũc, & si poteris, nega hãc ętatẽ voti pauptatis fuisse ignarã. Quãtũ autẽ Cypriani seculũ in huiusmodi votis sese exercuerit, antiq̃tatis scrutatorib. noti' esse existimo, q̃ huc quicq̃ à nobis debeat recẽseri. Verũ vt nõnullorũ labori parcã, quos magis ociũ q̃ labór inq̃rẽdi delectat, ꝓferã nõnulla diui Cypriani testimonia, quibus apertissimè cõstabit nõ

memoriam modo votorum, imo & ipſum vſum illo ſeculo Chriſtianis fuiſſe frequentiſsimũ. Vt interim omittã quod Tertulianus non modo de hac re ſententiã tulit, imo vero de velãdis virginibus iuſtũ volumen edidit. Quodq; idem ipſe Cyprianus mox vt ad fidẽ Chriſti conuerſus eſt, omnẽ ſuam ſubſtantiã pauperibus erogauit: quo fit vt haberet, qui buscum in cõmune viueret. Verũ q̃ aperte atteſtetur huic votorũ obſeruantiæ, ipſius ſententiæ non obſcure demõſtrant. Diuus Cyprianus ad Quirinũ, vbi de voto agit, meminit voti paupertatis: quod etiam probat ex Actis Apoſto lorũ cap. 5. Cur impleuit ſatanas cor tuum mentiri, te ſpiritui ſancto: non hominibus mẽtitus es, ſed deo. Quam ſen tentiã ad votũ pertinere cenſuit, vt ſcias communicationẽ bonorũ ſub voti vinculo cõſiſtere. Quod autẽ alio in loco permittere videtur virginibus, ne vrãtur, vt nubãt: illud ante votũ emiſſum intelligi oportet: aliàs euaneſceret illud quod idẽ ipſe citat ex Deuteron. cap. 23. Quæ egrediuntur per labia tua, obſeruabis, & facies quod locutus es ex ore tuo. Nam de voto adſtrictis ſanctimonialibus etiam velle nubere, pernicioſum eſſe & damnabile oſtendit, cùm paucis interiectis ſubnectit, Si ſuperueniens maritus ſponſam ſuam iacentem cum altero videat, nonne indignatur & fremit? & per zeli dolorem gladium in manu ſumit? Ita Chriſtus iudex noſter cùm virginem ſibi dicatam, & ſanctitati ſuæ deſtinatam iacere cum altero cernat, quantum indigna tur & iraſcitur? Quæ, inquit, hoc crimen admiſit? Non ma riti, ſed Chriſti adultera eſt. Hæc ille. Hæ nimirũ ſunt voto adſtrictæ, quibus nullatenus nubere licet, etiam Cypriano authore. Non ergo de omnibus intellexit, dum ait, Si pſeuerare nolũt vel non poſſunt, meli⁹ eſt vt nubãt. Iſtud enim ante voti vinculum, illud poſt emiſsionẽ accipiendũ eſt: cõſentiente diuo Hieronymo, qui aduerſus Iouinianũ ait, Si nupſerit virgo, non peccauit: non illa ſcilicet virgo, quæ ſemet dei cultui dedicauit. Harum enim ſiqua nupſerit, habebit damnationem: quia primam fidem irritam fecit. Virgines quæ poſt conſecrationem nupſerint, non tam adulteræ ſunt q̃ inceſtæ. Hæc ille. Illud non omittam, quod in hanc rem protulit idem ipſe diuus Hieronymus ad Paulinũ de inſtitutione monachi, Si cupis eſſe quod diceris mo-

nachus, id est solus: quid facis in vrbibus, quæ vtiq; non sũt solorũ habitacula, sed multorum? Habet vnũquodq; propositũ principes suos. Romani duces imitentur Camillos, Fabritios, Regulos, Scipiones. Philosophi proponant sibi Pythagoram, Socratem, Platonem, Aristotelem. Poetæ æmulentur Homerũ, Vergiliũ, Menandrũ, Terentiũ: Historici, Thucydidem, Salustium, Herodotũ, Liuium: Oratores, Lysiam, Gracchos, Demosthenem, Tulliũ. Et vt ad nostra veniamus, episcopi & presbyteri habeant exemplũ apostolos, & apostolicos viros. quorũ honorem possidẽtes, habere nitantur & meritũ. Nos autem habeamus propositi nostri principes, Paulos & Antonios, Iulianos, Hilarionem, Macarios. Et vt ad scripturarũ authoritatẽ redeam, noster princeps Elias, noster Eliseus, nostri duces filij prophetarũ, qui habitabant in agris & solitudinibus, & faciebant sibi tabernacula prope fluenta Iordanis. De his sunt & illi filij Rechab, qui vinũ & siceram non bibebant, qui morabãtur in tentoriis, qui dei per Hieremiã voce laudantur, & promittitur eis, quòd non deficiat de stirpe eorũ vir sanctus stans corã domino. Hæc ille. Nec obscure hanc perpetuã continentiam agnoscit Chrysostomus in sermone de libello repudij, ita inquiens, Etiam si nupserit virgo, non peccauit: virginem hic dicens, non eam quæ renunciauit, sed eã dũtaxat quæ nondum experta est coniugium, & non factam obnoxiã perpetuæ virginitatis promissione. Hæc sunt, quæ therapeuticem illustrem ac omnibus orthodoxis gloriosam reddũt, soloq; nomine venerandã: adeo vt quisquis eius gloriç inuidet (inuidet autẽ quisquis arrodit monachismum) impium ac irreligiosum se esse demõstret. adeo nemo malus bonum institutum vnquam fauore prosequitur. Cõtra vero probi omnes ac religiosi monachismum (si modo illic sancte viuatur) aut amplectuntur, aut nisi quid aliud possint, laudibus attollunt.

Reliquum itaque est amplius ac diffusius altera, quæ mox sequitur, huius operis sectione instituti monastici venerandam antiquitatem, euangelicæ paupertatis opibus dotatam, continentiæ ac cœlibatus puritate illustrem, ac profundæ obedientiæ radicibus innixam, ex vetustissimorum authorum sententiis demonstrare: quanquam de cœ-

libatu plurima ex dictis colligi possunt: quæ quidem omnia in monachismo non satis agnouisse Erasmum Roterodamum sero tandem pœnituit. verum sat cito, si sat bene. Docet hoc ad Cartusianum quendam propria ipsius manu scripta palinodia: quam hoc consilio contexere libuit, vt si qui imitati sunt peccantem, imitentur & ipsi pœnitentem. quando in priore rubor & verecundia, in posteriore vero vera est constituenda gloria.

TOMVS SECVNDVS,

De Monasticorum ordinum primordiis.



Squeadeo non est res seu recẽs seu humanitus adinuẽta Therapeutice, vt sit poti⁹ priscũ, imo inter prisca antiquissimũ, cœlitúsq; demissũ institutũ. Therapeuticẽ appello monasticæ vitæ formulã. Nam therapeutæ olim cultores seu monachi dicebantur, qui anachoresin obseruabant, & seuerioris vitæ institutum, quę monachismũ dicere possumus. Formula enim est vitæ syncerioris ac defæcatæ, cuius obseruatores seculo vale dicentes, se totos vitæ contemplatrici ac theoricæ deuouebant. Constat autẽ Eliæ Elisęíq; tẽporibus non defuisse ampla ac numerosa therapeutarũ, qui tum prophetę cẽsebantur, collegia atq; cœnobia. id quod plane liquet ex 3. Reg. 18. cap. Abdias aũt timebat dominũ deũ valde. Nam cùm interficeret Iezabel prophetas domini, tulit ille centũ prophetas, & abscondit eos quinquagenos & quinquagenos in spelũcis, & pauit eos pane & aqua. Quòd autem huius cultores instituti negociis secularibus de more renunciarent, vel hinc patet, ꝙ 3. Reg. 19. Elisæus dixit ad Eliã, Osculer, oro te, patrem meum & matrem meã: & sic sequar te. Qui etiam iuxta tunc tẽporis floruisse therapeutarũ collegia siue cœnobia vel hinc patet, quod 4. Reg. 2. scribitur, Egressi sunt filij prophetarũ, qui erant in Bethel ad Elisæum. Erant autem filij eruditione & disciplina, non natura, mutuo conuiuentes, ac rebus diuinis vacãtes. & hinc

4.Reg.4.habetur, Erat autem fames in terra,& filij prophetarum habitabant coram eo. Et paulo mox eiusdem cap. 6.dixerunt filij prophetarum ad Elisæum, Ecce locus in quo habitamus coram te,angustus nobis est: eamus vsque ad Iordanem, & tollant singuli de sylua materias singulas,vt ædificemus nobis ibi locum ad habitandum. Hinc liquet non defuisse cœnobitarum numerosa collegia, qui deo seruientes,rebus mundanis vale dixerant. Viguit itaque monasticum institutum sub Elia & Elisæo, anno ab orbe condito aut supra quater millesimum ducentesimo nonagesimo,quo scilicet tempore Elias Thesbites in eo curru in cœlum euehitur,qui est annus ante natalem Christianum nongentesimus nonus.

Ordo insuper Therapeutarum seu monachorum multo tempore floruit apud Iudæos in Pharisæorum Essenorúmque collegiis.Nam cùm syncerioris vitæ essent Esseni, præstarentque cæteris,constat Pharisæos suo viuendi instituto,si in eo syncere perstitissent,commendabiles fuisse, cùm de eis dicat Paulus in Actis cap.26.Quoniam secundum certissimam sectam nostræ religionis vixi Pharisæus. & nunc in spe,quæ ad patres nostros repromissionis facta est à deo,sto iudicio subiectus, in quam duodecim tribus nostræ nocte ac die seruientes, sperant deuenire. Neque enim rectum Pharisæorum institutum reprehendit Christus,sed simulatam eorum religionem, & aduectas de capitis proprij officina superstitiones:quibus ademptis,nihil est cur vituperandi fuissent Pharisæi. Nos autem de pura eorum religione loquimur,non de simulata ac superstitiosa. Atqui ex Iosepho,atque aliis probatis authoribus,plane constat Essenorum familiam insignis fuisse continentiæ, qualis est quæ ordini monastico congruit. Floruerunt autem huiusmodi instituta tempore Machabæorũ, ante Christum natum annis plusquam trecentis.Nam de Essenis Iosephus lib.18.cap. 2. Antiquitatum ait, Iudæorum philosophos fuisse, qui cuncta in deum redigunt, immortalem dicunt animam, sacrificia communia habent, vxores non ducunt,nec seruos habere curant. Hi erãt sui tẽporis therapeutę seu monachi.Sed de hac re suprà copiosius.

Canonicos dicimus,qui ex cõmuni placito ac voto ora

tioni ac mutuę bonorũ distributioni obnoxij erãt. Erat aũt hoc veluti elementũ quoddã atq; exẽplar futuræ cõmunionis in ordine canonicorũ, qui triplici voto adstricti se regulares appellãt. quem D. Augustinus lõgo post tẽpore instituẽs, ab apostolico fonte se hausisse ꝓfitetur. Hic ergo ordo statim ab orbe redẽpto primũ illuxisse visus est tẽpore Apostolorũ: qm̃ erat credentiũ cor vnũ & anima vna, nec quisq̃ ꝓpriũ aliquid se habere dicebat. Anno à Christiano natali 24. floruit huiusmodi Therapeutarũ institutũ, quod postea desiit esse omnibus Christianis cõmune sed redactũ est tandẽ in eorũ sortẽ, qui tẽporibus Philonis sobrie ac cõtinẽter vixerũt: vt authores sunt idẽ Philo & Euseb. lib. 2, 16, & 7. capitib. quam sentẽtiã cõfirmat D. Areopagita Dionysius, qui ad Caiũ Demophilũq; Therapeutas scripsit, eos proprij admonẽs instituti. Sed & Georgius Pachymeres ipsum Philonẽ ita loquentẽ introducit, In plerisq; orbis regionibus hoc genus monachorũ repire est. Oportebat sane boni istius sic ꝑfecti fieri participẽ non Græciã solũ, sed & reliquã gentiũ barbariẽ. Eorũ enim, qui à solitaria singularíq; mãsione cognomentũ sortiti sunt monachi in Aegypto, quorũ numerus creberrimus est maxime circa Alexandriã. Vt enim vbiuis gentiũ quisq; est optimus, in eã cõcurrit demigrátve coloniã, ꝑinde atq; in patriã therapeutarũ. Addit insuꝑ Philo huiusmodi therapeutas lucẽ diurnã totam philosophiæ impẽdere solitos, & corporis curã in breue noctis trãsferre momentũ, afferens nõnullos in tertium diem, alios vero in sextum diem distulisse cibum. Hæc de tertia monastici instituti ætate dicta sint. Superest alios percurrere monachorum ordines, ordinumque origines.

Ab hoc prisci monachatus æuo affulgere cœpit, & totis (quod dicitur) radiis orbem illustrare efficacissimum vitæ monasticæ institutũ, vtpote sanctis legibus regulisq; ita circunseptũ, vt limites designatos neq; ad latum quidẽ vnguẽ transilire liceret. Viguit hæc formula in Anachoretis, quos ab eremi cultura Eremitas vocamus. Qui si quando gregatim agerent, monachi cœnobitæ: si vero selectim ac priuatim, Anachoretæ dicebantur. Hoc genus therapeutarũ sub Constãtino Imꝑatore floruit, ducibus & antesignanis Paulo eremita non primo, vt quidã volũt: cũ enim Ioã-

nes Baptista lõgo prçuenit interuallo, Antonio, Hilarione, ac cæteros authoribus. Incidit gloriosum illud Anachoretarum (vt sic dicam) apicium in annum à Christiano ortu trecentesimum, Siluestro Papa, & Constantino imperatore. Erant enim tum temporis in vasta eremo sub Pacomio Patre innumerabiles monachi, sub Amos abbate ad numerum fermè quatuor milium chiliadum, præter alia cœnobia monachorumque conuentus, qui nullo comprehendi poterant numero. Hic interim nobis dicetur ordo Anachoretarum, qui in eo viuendi instituto penè perdurarunt vsque ad tempora diuorũ Basilii, Chrysostomi, Hieronymi. Fuisse his temporibus ex voti professione virgines Theodoritus author est libro 3. cap. 6. Ascalone, inquit, & Gazæ mulierum perpetuam virginitatem professarum aluos disscecuere, & ordeo compleuere, ac porcis escam obiecere. Itẽ 19. eiusdem, Publia nobilissima fœmina. Hæc habebat secũ virginum castitatem vitæ professarum: hæc omnia erant tempore Iuliani Apostatæ, & qui eum præcesserat Constã tij Imperatoris anno 340.

Ordo Basilianorum, qui certis legibus, viuendiq; formulis à diuo Basilio editis viuere cœperunt, cœpit illucescere orbi sub magno Pontifice Damaso, Imperatore Iuliano, Basilio Magno, Gregorio Nazianzeno, Hilario Pictauiensi, Ioanne Damasceno, diuo Hieronymo, Martino Turonensi, ac reliquis insignioris notæ pontificibus, qui sub id tempus mirum suę sanctitatis, atque eruditionis inæstimabilis odorem sparserunt. Extat huius ordinis regula diuo Basilio authore. De hac re Theodoritus in catalogo. Huius scilicet Basilij sunt psalmorum matutini cantus, & cœtus virorũ ac mulierũ virtutem & continentiam exercẽ tiũ, ἀσκήσεις Greci dixere.

Ordo Augustinianus à diuo Augustino regula ac legibus descriptus, florere cœpit circiter annũ domini quadringentesimum trigesimum, summis ecclesiæ pontificib' Siricio & Innocentio, imperantibus Theodosio, ac deinde Arcadio, Hieronymo, Ambrosio, Chrysostomo, diuo Martino, Gregorio Nazanzeno sui claritate nominis orbem illustrantibus. Hunc ordinem non tam à se institutum quam ab Apostolis deriuatum idem Augustinus censeri voluit.

Plura ea de re & fusius ex Volaterrano libro Commentariorum vigesimoprimo haurire poteris. Hic ordo quũ multis annis à sua synceritate defecisset, primùm restitutus est suæ integritati à diuo Nortberto Præmonstratensis familiæ institutore: deinde sub annum Domini millesimũ quadringentesimum per Frigionariam congregationem, aliàs appellatam Lateranensem, in Italia in legitimum ordinem redactus: nouissime vero in Gallia à congregatione, quam appellant Castrinantonis (vulgo Chasteaulandon) suæ puritati restitutus circiter annum millesimum quingẽtesimũ. Qui viri in hoc ordine floruerunt, ex Raphaele Volaterrano discere poteris. Diffusa est in multa hominum milia hęc Augustiniana familia. Aiunt enim cœnobia olim in Europa ad quatuor milia sexcentaquinque inuenta fuisse, habuitque sui instituti pontifices maximos, Gelasium primum, Leonem octauum, Alexandrum Paschalem, Luciúmq; secundos. Itemque Alexandrum, Innocentium, Honorium, suæ nomenclaturæ tertios. Cardinales amplius trecentos, deniq; viros sanctitatis opinione præstantes & celebratos plus minus septies mille quingentos.

Ordo Benedictinus initium sumpsit in monte Cassino circiter annum Domini quingentesimum trigesimum sub id tempus, quo Gregorius Magnus, Mauricio imperante, ecclesiæ præsulatum tenebat: quo tempore floruit, viguitque vitæ regularis ac continentiæ virginalis diuæ Brigidæ sacrum tyrocinium. Ex hoc vno augustissimo sanè, ac defæcatissimo viuendi instituto, veluti equo Troiano, innumeri monasticę integritatis ꝓceres ꝓdierũt: quandoquidẽ emisit huius fœtura ordinis Romanos pontifices quatuor & viginti, Cardinales præter cẽturiam octogintatres, Abbates insignes supra chiliadem quingentos septuaginta. Lapso demum in quibusdam locis syncerioris vitæ tenore, repullulauit ordo Celestinorum, de quo mox plura dicturus sum: tandémq; sub Eugenio quarto surculus emersit congregationis sanctæ Iustinę, quę transuersos à linea, deuiosq; tyrones regulari exẽplo ad viã reduxit. Senserũt eiusmodi purioris regulæ nitorẽ in Gallia conuẽtus Casallis Benedicti, diui Sulpitij cœnobiũ apud Bituricas, Gemeticense item claustrum in agro Caletensi, diui Vincentii tẽ

plum apud Cœnomanos, demum apud Lutetiam Parisioru̅ diui Germani Pratensis ędes. Hi omnes cultioris ac synce rioris vitæ exemplar, ab vnius congregationis fonte, diuæ scilicet Iustinæ pie ac religiose receperunt.

Ordo Cluniacensis emersit anno Domini nongentesi mo duodecimo. Præerat tum sedi apostolicę Anastasius secundus, imperio vero Conradus primus, authore Bernone succedētibus illi Abbatibus Odone, Adamaro, Maiolo prius Maticensi archidiacono, Odibone, qui defunctoru̅ memoriam orbi inuexit, celebremq́ue reddidit, annuo ritu obseruandam, Hugone, viris opinione sanctitatis clarissimis.

Ordo Vallis vmbrosæ illuxit orbi Christiano anno domini millesimooctauo. Alij vero referunt huius originem in annum millesimum septuagesimum septimum sub Gregorio septimo: authore Ioanne Galberto Florentino, Simoniacæ labis vehementissimo insectatore.

Ordo Humiliatorum prodiit in lucem anno Domini millesimo decimoseptimo. Hi primùm exilio mulctati ab Henrico Imperatore tertio, vnà cum vxoribus diuinis laudibus, abstinentię ac lanificio egregiam nauarunt operam. demum sibi redditi, priorem vitæ formulam aut tenueru̅t, aut certè auxerunt, vt semimonachi censeantur. Probator ordinis Innocentius tertius.

Ordo Camaldulensium primordia sumpsit anno Domini millesimo trigesimotertio, diuo Romualdo authore, Benedicto nono Pontifice: in hócq; emersisse videtur, vt Benedictinum ordinem lapsum suo reformaret exemplo.

Grandimontensis ordo pullulauit anno millesimo septuagesimosexto. Caput ordinis Stephanus Stephani nobilis Aruernus. Prima sedes sita fuit ad montem Muretum. Loricam nudo corpore gestabat, vixit nihilominus annis octoginta.

Cartusianus ordo, de quo suprà dictum est, viguit semper & floruit, hucusque illibatus permanens, sui semper similis, nulla ex parte vacillans, ab anno Domini millesimo, octogesimosexto. In suo semper instituto perseuerat, authore primario Brunone Canonico Carnotensi, patria Coloniensi, scholæ Parisiensi rectore sua ętate clarissimo, primo ordinis abbate Hugone Gratianopolitano præsule.

Ordo Sistertiensium sub diuo Roberto Molismensi,de quo suprà plurima tradidit Robertus, originē habuit anno domini millesimo nonagesimoquarto. Cui ordini proximè successit,tanquā ramus ex radice,flore fructuque suauissimus Clareuallensis ordo,diuo Bernardo authore primario:idque sub anno Domini millesimo centesimo trigesimoquarto sub Stephano abbate Sistertiensi.

Ordo Celestinorū ortū habuit anno dñi millesimo nonagesimosexto à Petro de Murrone,eremita primū,deinde in summum pontificem electo, qui Celestinus quintus dicebatur:tandemque pontificatum abdicauit. Verum egregiam sanè post se familiam relinquens, Celestinorum clarissimè suæ sanctitatis,celeberrimique exempli commendationem posteritati reliquit. Hi enim sunt Celestini, qui Carthusianis moribus quadantenus similes,constantissimè hucusque in sua integritate perdurarunt. nec à primæua institutione vel ad transuersum quidem vnguem recessisse deprehenduntur. Istos, vt Carthusianos in officio semper continuit solitudo,visitatio & silentium. Nam caput exceptile facit,vt omnes regulæ sint subditi. Hinc ortum adagium,plus prudentiæ continens,quàm verborum elegātię. Per so,si,vi,tenetur Carthusia in vi. So.i.solitudinē.Si. i.silentiū.Vi.i.visitationē.Nā visitatio & caput exceptile faciūt,vt leges præsint regibus potius,quàm reges legibus.

Ordo Templariorum institutus est anno Domini Millesimo centesimo vigesimo. Hi scilicet Templarii præter militiam professam,religionis ergô orationem dominicam certo numero repetitam pro canonicis horis pronunciabant,albo amictu vestiti.

Ordo Præmōstratensis à loco præmonstrato sic dict⁹, vt quē diuo Nortberto,natione Lotharingo,angelus pręmōstrarat instar mōtis Moria:qui appellatus est mons,quē Dominus viderat. Hic,inquā,loc⁹ Præmōstrat⁹,nō de ꝓpe mōstrat⁹,vt aliqui volūt,hodie quoq; manet toti⁹ sedes ordinis in medio sit⁹ nemore in diœcesi Laudunensi. Est autem Laudunum,quasi mons popularis. Erigi cœpit sub Calixto secūdo,anno domini millesimo centesimo vigesimosecundo plus minus: in hoc institutus, vt lapsus ordo canonicus Augustini suas detergeret sordes,&huius Nortberti

Jesuaster

suorumq; asseclarum exemplo meliorem formã induerer.

Ordo Gulielmitarũ autore Gulielmo olim duce Aquitaniæ, initium habuit anno Domini millesimo centesimo, quinquagesimooctauo plus minus. Huius familiæ alumni etiamnum Albi Mantelli dicuntur. quo velamine quondã tegebantur, nunc vero cuculla induti incedunt. Gulielmus autem qui huic instituto dedit originem, dux Pictauiensis erat, fautor schismatis, stans à parte Petri Perleonis antipapę aduersus Innocentium secũdum: qui diui Bernardi zelo commotus, omnem ferociam exuens, anachoresin seuerissime exercuit, ferrea ad nudam cutem cathena alligata, pœnitentiæ posteris reliquit exemplum. Hæc est imitatio dexterę excelsi, qui tangit montes, & fumigant: quique ferocem leonem in mitissimum agnum conuertit.

Ordo semperac superbeatæ & benedictæ Trinitatis, de redemptione captiuorum in agro Meldensi, loco frigidi cerui appellato, Gallicè Cherfroit, indicio semper adorandæ crucis cœlitus effulsit: idque anno Domini millesimo centesimo nonagesimoseptimo, Ioanne Matta, & Felice anachoreta authoribus: quibus apparuit è cœlo crux rubri cœruleique coloris. Qui ordo in hoc ab Innocentio tertio approbatus est, vt huius professores rediműdis è faucibus infidelium captiuis assiduam darent operam.

Anno domini millesimo ducentesimo suo fulgore orbem illustrauit ordo Dominicanus fratrum prædicatorum sub Dominico Calaguritano: simulque ordo Minorũ sub diuo Francisco, flagrantissimo pietatis cultore, probante huiusmodi ordines Honorio tertio pontifice: quorum propagines vni mendicitati innixi, totum orbem impleuerũt. Moxque anno Domini millesimo ducentesimo decimoseptimo accessit ad numerum ordo sanctæ Claræ: anno dein de vigesimo ordo beatæ Mariæ de monte Carmeli confirmatur. Moxque subsequitur confirmatio ordinis Eremitarum beati Augustini anno Domini millesimo ducẽtesimo quinquagesimo. Quos ordines Honorius tertius sua authoritate interueniente firmauit.

Ordo seruorum beatæ Mariæ semper virginis exordiũ habuit anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo quinto, tempore Martini quarti, huius familiæ capite Phi-

lippo Tudertino. Comprobat' ordo est sub diui Augustini regula à Benedicto vndecimo, & Vrbano sexto.

Templariorum ordine exautorato, prorsusq; deleto, continuo succedit ordo militum sancti Ioannis, anno Domini millesimo trecentesimo decimo sub Clemente quinto: successeruntq; Ioannitæ milites magna ex parte Tēplariorū reliquijs. Cui ordini accessit ordo militaris Teuthonicorū sanctę Mariæ. Horū insigne est candid' amictus cū nigra cruce. Ex instituto barbam nutriunt, neminem nisi ex suo genere admittunt. Ex Hierosolymis pulsi Prutenіam, pulsis infidelibus, receperunt.

Ordo sanctæ Brigidæ anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimonono primū exoritur sub Vrbano quinto, viris & mulieribus sub eodem tecto habitantibus institut' : ita tamen, vt superiora tabulata mulieres, inferiora vero viri colerent. Templum erat vtrisque commune, ita vt omnibus abbatissa pręesset. Huius formula regiminis toto fontis Ebraldi ordine obseruatur. Sic enim religiosus abbatissæ subest, vt olim virgini matri Ioannes Euangelista fuerat commendatus his verbis, Mulier, ecce filius tuus. quæ verba huic instituto occasionem dederunt.

Ordo Iesuatorum primùm apparere cœpit anno domini millesimo trecentesimo sexagesimosexto in vrbe Senensi, sub Vrbano quinto. Priuatas domos incolunt, certis tamen legibus inuicem astricti, & simili amictu à cæteris discrepantes, authore primario Ioanne Columbino.

Ordo Montoliuetensium anno Domini millesimo quadringētesimo inualescere cœpit, primario authore Bernardo è Ptolomæorum familia in colle Senensi. Probator ordinis Gregorius decimustertius. Hoc fermè tempore emergere cœpit ordo eremitarū Hieronymi, sub ritu tamē diui Augustini: qui initium apud Phęsulas, progressum vero in Hispania elegantissimum habet.

Ordo Pœnitētium fœminarum anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo exoritur, authore fratre Ioāne Textore (Gallicè tisserrant) minorita: primumque huius ordinis cœnobium erigitur apud Lutetiam Parisiorum. Pridem hoc institutum ętate beati Ludouici sedem tenuit in cœnobio diui Antonij Campensis prope muros

Pariſiēſes. Verùm labentibus annis illis ſucceſſit conuent' virginum, qui hodie extat ſub Siſtertienſium regula degentium.

Ordo Minimorū authore diuo Franciſco de Paula, natione ~~Siculo~~, ad muros Turonicæ ciuitatis initium habet, anno Domini milleſimo quadringenteſimo plus min' octuageſimo.

Calaber

Plura de his quicunque ſcire deſyderat, legat Raphaelem Volaterranum lib, 21. & Polydorum de inuentorib' rerum lib. 7. qui cum cætera eleganter, & magna fide deſcripſerit, hoc vnum ex eo fidem minimè meretur, quòd dicat temporibus diuorum Antonij, Baſilij, Hieronymi, totoq; retroacto æuo monaſticum viuendi genus ſimplex fuiſſe ſemper ac liberū, nulliſque votorum repagulis obſeratum. Id q̄ longè abſit à vero, non difficile fuerit oſtendere ex his quæ ex hiſtoria Theodoriti in Iuliano Apoſtata declarauimus. Credibile tamen eſt anſam accepiſſe nonnullos aut detruncandi, aut certe arrodendi ſtatus monaſtici: qui tamen ex ſuis fructibus omnibus affatim ſeſe commendabilem præbet. Quòd ſi quoſdam reperias ob id contemptos & deſpectos, quòd palàm ab orbita ſemel inchoata recedant: tantū abeſt, vt hoc nomine incuſandus ſit monachatus, vt maxime etiam probandus veniat. Ea enim lex magna commendatione digna cenſenda eſt, cuius obſeruatores deo hominibusq; probātur: contrà verò ludibrio habentur deſertores. Hæc enim arbor non niſi bonos ſuapte natura ſolet producere fructus: improbi autem ſunt & caduci, qui ab huius arboris ſucco degenerant. Minimè igitur vituperari debet, verum commendari potius ordo iſte, quem non omnes pro ſui excellentia aut arduitate attingere poſſunt. Quem qui deſerunt, prorſus delirant: qui vero inchoatum proſequuntur, egregiam ſane laudem, & præmia ampla reportant.

Sunt tamen nonnulli, quos malè habet monachiſm': vel hoc vno nomine, quòd monachorum clauſtra ſcholæ potius, quàm monaſteria dicenda veniant. Verum quid, ad me quo nomine vocentur, modo in eis mores, pudicitia, cōtinentia, puriſſimæ ſeruentur? Id quod ſine arctiſſimæ obſeruatione diſciplinæ nullatenus præſtari poteſt. Quę res

adegit claustrophylaces, vt qui vellent huiusmodi institutum amplecti, perpetuæ disciplinæ scirēt se esse obnoxios.

Ad hunc certe lapidem mihi offendisse videtur in sua Cappadocia Vadianus, quòd pugnantia secum exigat ab hac cœnobitica viuendi formula, nempe morum puritatē perpetuam, & vinculi temporaneum nexum. Quandoquidem vbi libera, dum quis volet nec eo amplius, erit monachismi obseruatio, quis in officio contineri poterit? Quid aliud in claustris videri poterit, quàm fornicaria quædam, in qua modò abeuntes, aliàs vero reuertentes formicas inspicias? Nihil vbiq; stabile, nihil constans, nihil firmū illic esse poterit. Hoc verum esse sciret author ille, si modo perlegisset beati Benedicti formulam de instituto monastico, apud quem gyrouagi pessimè audiunt. Legisse item debuerat Augustinum de opere monachornm. A quibus tanquā expertis consilium potius haurire debuerat, quām re incognita leuem tulisse sententiam. Nam quòd humana coniectura nonnunquam vtile credit, sequens experientia noxium esse demonstrat. Vt enim vna hirundo non facit ver, nec obscura dies vna hyemem, nec serena altera æstatem: ita nemo appellauerit mēsurnum annuúmue monachum, nisi perpetuo in suo instituto perseueret, sic scilicet vltima semper expectanda dies homini. Quod autem ad eruditionis rationem attinet, malim pium ac modestum quàm elatum multa eruditione monachum. Nec prorsus improbo magna ex parte doctrinarum expertem, modo hoc vnum curet, nempe domino reddat vota sua, quę distinxerunt labia sua. Illudq; habeat fixū in pectore à deo perpetuò requirendū: Bonitatem, & disciplinam, & scientiam tuā doce me: vt prius habeat moribus & disciplinę iusudare, quā literariæ eruditioni. Vtrunq; si adsit, non damno: verum prius posteriori ita præfero, vt si alterutro carendū sit, bonitas sit scientiæ anteferēda: non vt præstans modo, imò vt necessaria. Quis enim tam alphabetus, vt nesciat viros monasticę professionis illustrissimos, tametsi literarum expertes, totum orbem & vita & miraculis illustrasse? An ignoramus verè dictum à Paulo: Scientia inflat: charitas vero ædificat? Quid autem de temporaneo monachatu cēsuerit Augustinus, paucis intelliget, qui modò ad eius di-

cta animum aduerterit. Sic enim ait de opere monachorū, cap,28. Diabolus tam multos hypocritas sub habitu mona chorū vsquequaq; dispersit. circūeuntes ꝓuincias, nusquā missos, nusquam fixos, nusq̄ stantes, nusquā sedentes. Alii membra martyrum, si tamen martyrum vendicant, alij fimbrias & phylacteria sua magnificant, alij parētes, vel cōsanguineos suos in illa vel in illa regiōe se audisse viuere, & ad eos pergere mentiuntur, & omnes petunt, & omnes exigunt, aut sumptus lucrosæ egestatis, aut simulatæ precium sanctitatis: cum interea vbicunque in factis suis malis deprehensi fuerint, vel quoquomodo innotuerint, sub generali nomine monachorum, vestrum propositū blasphematur. Hæc ille. Hinc discant omnes non annuum, sed continuum esse debere monachum: non varium, sed constantē: non temporaneum, sed perpetuum: atque ita pudore suffusi cessabunt perpetuum arrodere monachatum, quasi verò ab huiusmodi technis ac nugis reipublicæ Christianæ mores pendeat.

Huc etiā spectāt ea, quę de ꝑpetuo cōtinētię voto ꝓtulim⁹. Ex qbus quisquis defæcatā habet mētis aciē, perspicuè intelliget, quod quemadmodum sinus Persicus, Indicus, Gangeticúsve ex intima ratione pertinent ad mare Oceanum, ea videlicet habitudine qua riuus pertinet ad fontē: ita & paupertas, castitas, atq; obedientia iuri diuino euangelico fœdere perpetuo iunguntur, ab ipso scilicet certissima origine deducta. Quid enim aliud designat lex illa paupertatis euangelica: Vende quæ habes, & da pauperibus, Matthei decimonono. Vsus item apostolicus, quo omnia discipulis erant communia, Actuum secundo.

Prꝫterea quis riuus à fonte intimius deduci potest, quàm cœlibatus ab eo quod scriptum est, Sunt qui se castrauerāt propter regnum dei. qui potest capere, capiat, Matthei 19. Quæ verba hortantis esse ac vehementer allicientis, non autem absterrentis, vna est sanctorū patrū sentētia cōcors: quasi ita dicat, Beatus qui poterit capere, quando scilicet non expedit nubere. quale & illud est, Beati pauperes spiritu, &c. Cui adhortationi multis rationibus succinit Paul⁹, priore ad Corinthios 7. Qui, inquiens, matrimonio iungit virginem suam, bene facit: & qui nō iungit, melius fa-

cit. Idéq; arbitratur bonũ esse homini mulieré non tangere: quin potius optat omnes esse sicut seipsum, vtpote cœlibes & innuptos, atque adeo virgines. Iam vnde obedientiæ promptitudo deriuari queat aptius, & hauriri commodius, quàm ex eo quod apud Lucam nono scriptum est: Qui vult venire post me, abneget semetipsum? Hinc vastissimum pelagus prodijt apud Cassianum de institutis renũciantium. Hinc est illud Augustini oraculum, Tolle voluntatem, infernus nõ erit. Hinc & illud abbatis Ioseph oraculum decimasexta collatione, quo legali quadam sanctione apud viros spirituales perscriptum esse asserit, quod nemo plus iudicio suo quàm fratris credere debeat, si nunquã velit diaboli calliditate deludi. Hinc & illud, Sapientis oraculum, Ne innitaris prudentię tuæ. Sic enim fiet, vt nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate alter se submittat alteri, suadente Paulo, Honore inuicem præuenientes. Qua in re audiendus est abbas Ioseph capitibus vndecimo & duodecimo. Scriptũ enim est, Vir spiritualis omnia diiudicat, etiam secreta dei. Carnaliũ vero ridicula capita potius subsannanda veniunt, quàm curanda. Non enim accipit stultus verba prudentiæ, nisi dixeris quæ versantur in corde ipsius. His tribus euangelicæ doctrinæ fluentis absorbeatur ac suffocatur Cerberus ille triceps, qui suo ore trifauci orbẽ vniuersũ deuorare cõtendit: quem graphice depinxit diuus Ioannes in sua Canonica, ita dicens: Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, quã castitas suffocat: aut superbia oculorũ, quã spõtanea pauptas extinguit: aut superbia vitæ, quam suffodiens mansuetissima obœdientia radicitus euertit. Iam igitur aptissimè succedit de obedientiæ vi, energia, venerandóque instituto priuatim ac speciatim differendi locus.

Voti obœdientiæ antiquissimum institutum liquidò demonstrare.

NEc vlla re minus aut vetus aut priscum fuisse obedi-
ẽtiæ institutũ existimabit, quisquis præfecturę in cœ
nobiis rationẽ vel ipsius præfecti nomine cõsiderauerit.
Nam abba quid aliud quàm patrem significat, teste Paulo,
qui ait: In quo clamamus abba pater, sumptum nomen à ve
tustissima lingua Hebraica: cum episcopus nomen sit recen
tius, vtpote ex Græco desumptum? Vt autem ex nominis
vetustate rei etiam deprehendatur antiquitas, constat fili-
os prophetarum olim appellatos, in quos ipsi prophetæ ius
paternum exercerent, eos & eruditione instituendo & mo
ribus. Erat ergo pater spiritualis is, quem hodie abbatem
vocamus: sicque ab eo tempore in hanc vsque ætatem dedu
cta est spiritualium filiorum selecta, ac verè monastica ob-
œdientia. Cui præstandę obnoxij erant ij, qui filii diceban
tur prophetarum. Non enim alia ratione filij aut diceban-
tur, aut erant, quàm aut morum disciplina, aut sapiẽtiæ eru
ditione. Hi nimirum erant, quorum vetustatem recenset in
Hebræis diuus Paulus, dum ait: Circumierunt in melotis,
in pellibus caprinis, egentes, angustati, afflicti, quibus
dignus non erat mundus. Tales, inquam, erant hi, qui-
bus Helisæus tuguriola extruenda curauit: & quos alioqui
fame perituros aluit. 4. Regum 4. & 6. Hos sola obœdien
tia filios faciebat, & morum disciplina. Non est ergo recẽs
inuentum obœdientiæ monasticæ aut res, aut nomen.
Nam de ea speciatim loquimur.

De Esseorum obœdientia quid attinet dicere, quorum
disciplina viuendique formula, ac parendi necessitas, à Io
sepho pariter ac Philone multis nominibus commenda-
tur. A verbis eorum recensendis abstinemus. Alio enim
loco enarrata sunt.

Iam quum obœdientia in propriæ voluntatis abdi-
catione consistat, Christus Dominus nihil aliud, quàm
obœdientiam statuit, quum ait: Si quis vult venire post
me, abneget semetipsum: tollat crucem suam, & sequa-
tur me. Abnegat autem se, cui nihil iam restat agen-
dum ex propriæ mentis arbitrio, sed alienæ subiecit o-
mnia voluntati. HVC Etiam & illud spectat,
quod Dominus ait: Nisi conuersi fueritis, & efficiami-
ni sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.

Atqui paruulus non proprio, sed alieno, & eo quidẽ pater no, regitur arbitrio. Qua de re præclarè diuus Hieronymus ad Rusticum monachum ait, Præpositum monasterii timeas, vt dominum: diligas, vt patrem: credas esse salutare quicquid ille pręceperit, nec de maiorum sententia iud ces, cuius officii est obœdire, & implere quæ iussa sunt, dicente Moyse Audi Israel, & tace. Chrysostomus aduersus vituperatores vitæ monasticæ huiusmodi obœdientiam ita commendat, vt in ea vitæ monasticæ proram puppimque consti tuat. Obœdientię vim sanctę atque energiam eleganter illustrat Cassianus in collatione abbatis Piamonis: qua perlecta, nemo nisi cum summa impietate obœdiẽtiæ voto detrahere potest. Quæ quidem apud dominum tãtum valuit, vt suis cultoribus spiritũ prophetiæ impetrarit. Author huius rei idem ipse Cassianus de institutis renunciãtium lib. quarto, vbi de abbate Ioanne cap. xxiii. sic ait, Ponimus pri mùm abbatem Ioannem, qui commoratus est iuxta Lico, quod est oppidum Thebaidis: quiq; propter obediẽtiæ virtutem vsque ad prophetiæ gratiam sublimatus, sic vniuerso claruit orbi, vt etiã regibus mundi huius merito suo redderetur illustris. Nam cũ in extremis, vt diximus, Thebaide partibus commaneret, nõ ante prǽsumebat Theodosius imperator ad præpotentiũ bella tyrãnorum procedere, quàm oraculis illius animaretur atque respõsis. Quibus confidẽs velut cœlitus sibi delatis, trophea de bellis desperatis atque hostibus reportabat. Hæc ille. Iam quis tam impius, vt dãnare audeat pium obedientiæ institutum, cum videat illud domino probari signis atque miraculis? Deus est qui iustificat, quis est qui condemnet?

Totus Cassiani liber de institutis renũciatum refertus est huius obediẽtiæ spiritualibus emolumentis, ex quo cõpertum cuiuis esse poterit nõ sine numinis afflatu mẽtibus hominum immissam fuisse hãc obediendi legem: cùm idem in procemio ita dicat: In Thebaide cœnobiũ est quanto numero populosius cũctis, tanto conuersationis rigore districtius. Siquidem in eo plusquã quinque milia fratrum sub vno abbate reguntur, tantaque fit obedientia hic tam prolixus monachorum numerus omni æuo seniori suo subditus, quanta non potest apud nos vnus vni vel obedire per-

modico tēmpore, vel præesse. Quorum tam longa perseuerantia, humilitas atque subiectio, queadmodum tam diuturna perduret, quáve institutione formetur, per quam vsque ad incuruam senectam in cœnobio perseuerēt, opinor nos debere perstringere. Hactenus ille. Vides renunciationem hoc loco designari non annuam, sed perennē: non variam, sed perseuerantē, nō momentaneam, sed perpetuam. Quod & apertissimè cap. xxxiii. ostendit, dicens melius esse nō vouere, quàm post votum promissa, nō reddere: ideóque non temere recipiendos eos, qui renunciaturi accedūt, ne rei grauioris supplicii efficiantur. Quin & totum caput xxxvi. meminit huius perseuerantiæ vsque ad mortem duraturæ. Memineris, inquit, quòd si quæ destruxisti, iterum reædifices, præuaricatorem te constituas: sed potius in hac nuditate, quam coram deo & angelis eius professus es, ad finem vsq; perdures. Non enim qui cœperit, sed perseuerauerit in his vsque in finē, hic saluus erit. Hæc ille. Nulla in his verbis reliqua esse potest temporanei monachatus cōiectura: quam disciplinæ ecclesiasticę osores suo marte excogitarunt, huc respiciētes, vt dum de perpetuo temporaneū, déque necessario arbitrariū monachatum constituere moliūtur, huiusmodi professionem monasticā breui, si queāt, momento annihilent ac perdant. Verum vt nunquam liuori deesse poterit quod arrodat, deerit tamen quod deuoret, cōsumat, aut perdat. Est enim omni adamante solidior, omni candidior ebore, omni deniq; gemma venustior vitæ monachalis honesta disciplina: quā nec dissoluere possunt aut machinæ, aut rauco fulgura missa sono. Et vt cætera omittam, firmū sane ac perseuerans vitæ monachalis institutum florentissima diui Augustini ætate viguisse perspicuū adeò est, vt in ea re siquis hæsitet, nihil aliud quàm inscitiā suam prodat, idque magno suo nominis incōmodo. Quid enim stupidius est, quàm de mēte Augustini dubitare, quæ nullo nō loco se præstet obuiam eius scripta vel ab ipso limine salutāti? Libet igitur pauca ex plurimis delibare. primum occurit illud, sermone de obediētia: Placuit vobis omnibus vnum in deo sentire, & omnia cōmuniter possidere. Hæc autem facere voluistis nō coactè, sed sponte: & vsque ad mortē viuere sine proprio profiteri voluistis. O presby-

ter attende, & vigilanter attende, ꝙ promittere tuum fuit, sed dimittere nō est tuum. Alligatus es vxori, noli iam quęrere solutionem. Absolutus es ab vxore, noli iam quærere vxorem: quia mecum habes causam. Ligasti te mihi, nunquid te compuli? Nunquid te rogaui, vt venires? Nunquid applausi promittens hæc & illa? Absit omnino. Igitur esto fidelis, & dabo tibi coronam vitæ. Noli mihi resistere, sed esto vsq; ad mortem obœdiēs. Noli mihi resistere, quia omnis potestas à deo est: & qui potestati resistit, dei ordinationi resistit. Non tamen veni, vt super vos potestatē haberem: sed tantum, vt cū fratribus meis viuerem in solitudine. Et ecce nunc episcopus sum, & pauperem me esse non erubesco. Quare? Quia pauper paupertatem seruare promisi. Cauete igitur, ne me pauperem relinquatis. Pauperes mecum esse voluistis, cauete ne diuitiis capiamini. Illud quoque ad obœdiētiæ vinculū pertinet, quod subiungitur. Cauete ergo sacerdotes, ne aliquis vestrū audeat insurgere contra prępositum vel presbyterum, qui omniū vestrum curam gerit. Ipsi enim positi sunt in ecclesia ad nostram vtilitatem, vt prouideant quid agere debeamus, vt etiam pro nobis rationē deo reddāt, & vnitatem ecclesiæ custodiant: de qua dominus nos voluit esse sollicitos, ne tanquam oues nō habētes pastorem per diuersos errores ab vnitate fidei diuisi essemus. Sicut enim vnus est dominus, & vnus pastor: sic & vnū ouile esse voluit. Propterea noluit dominus scindi tunicam incōsutilem, quæ integra erat, quia non patitur ecclesiæ violari vnitatem. Ideo Paulus ait, Obsecro fratres per nomē domini Iesu Christi, vt nō sint in vobis schismata, sed seruate vnitatem spiritus in vinculo pacis. Nam sicut multi radii procedunt ab vno sole, & tamen vnum lumen est: ita & nos multi ab vno capite procedentes, omnia pacificè & communiter possidere debemus. Ex hoc certe diui Augustini loco oculatus quisq; facilè dephehendet sanctæ obedientiæ originem ex scripturæ sacræ fontibus deriuari. Nam si, authore Paulo, obediendū est principibus ac ducibus, quos tāquam legem viuam præesse politiæ necesse est, hinc planum esse omni regendæ & instituendæ cōgregationi opus esse non mutis tantum legibus, verū & viua lege vt sunt in politia principes, in familia parentes, & in eccle-

ſiaſtico côuictu paſtores,quos meritò quis vocet nomophylaces. Et hi quidem fruſtra inſtituuntur, niſi ſubſint iuſta parendi neceſſitate obligati. Si igitur neceſſaria eſt obedientia pro tuenda ciuili tranquilitate & concordia, quanto magis vbi de ſalute animæ, conuerſione morum, & rerum diuinarum contemplatione alenda fouendáque agitur? Quæ omnia tractantur, in cœnobiis ad diſciplinæ regulam ritê comparatis. Quàm enim vtiles ſunt huiuſmodi cœtus, & ſacra comitia, tam neceſſariæ ſunt leges, & qui legibus conſeruandis præſunt nomophylaces. Quæ omnia vana forêt, niſi acceſſerit obedientiæ vinculum, parendíque neceſsitas. Ideóque meritò hoc loco diuus Auguſtinus exigit à ſibi credito monachorum grege, iure, & eo quidem iuſtiſsimo, debitam obedientiam: cuius neceſsitatem ex ſacræ ſcripturæ fontibus haurit, ſeruandámque omnibus proponit. Idem quoque in ſermone de communi vita clericorum ad fratres eremitas ſic inquit, Ecce ego dico audite. Qui ſocietatem communis vitæ iam ſuſceptam deſerit, à voto ſuo cadit, à profeſſione ſancta cadit. Obſeruet iudicê ſcilicet deũ, non me. Et paucis interiectis ſequitur, Ego ſcio quantum mali ſit profiteri ſanctum aliquid nec implere. Vouete, inquit, & reddite domino deo veſtro. &, Melius eſt non vouere, quàm vouere & non reddere. Virgo ſi nũquam fuit in monaſterio, & ſacrata eſt, illi nubere nõ licet: ſi autem cœpit eſſe in monaſterio & deſerit, virgo eſt, ſed dimidia ruit. Clericus ſi à propoſito cecidit, quo profeſſus eſt communiter viuendi ſocietatem, dimidius & ipſe cecidit. Hæc ille. Nemo certe inficiari poteſt ex Auguſtini officina prodiſſe locos, quos nuper citauimus: cum apertiſsimè declaret ſuum de vita monachali inſtitutũ, eiuſque ingreſſum ac progreſſum. Quorum nemo conſcius eſſe poterat, niſi vnus Auguſtinus: præſertim cum nominatim citet ſui ſanctiſsimi inſtituti indiuiduos comites, authoréſq; & fautores. Quæ omnia non niſi ab Auguſtino dici potuerunt, ſed ne cogitari quidem.

Rideat ordinem monaſticum quantum velit, ſcurriliter Eraſmus, nihil prorſus inde referet à viris cordatis, niſi ſiniſtram aut æmulatoris aut ſignorum ſuorum deſertoris opinionem. Dum enim aliis inurere notam exiſti-

mat, grauiorem sibi proprii nominis iacturam parat: ac veluti in puluerem sufflans, oculorum sibi aciem lucémque adimit. Deniq; malum ad se attrahit, vt Cæcias nubes. Qui dum Paulini paraphrastæ personam sustinet, sibi temperare non potuit, quin scurram ageret statum monasticũ traducẽs, mutatis parumper elemẽtis. Carmelium, Augulium, Franquilium, Benotium, portẽtosa nomina suo marte cõficta vnus protulit, secundum credo non habiturus nec histrionem quidem, aut mimũ imitatorem. Non enim ita debuit diui Pauli authoritate abuti, vt his scõmatibus suo nomine cæteris illuderet, & quidem viris, quales eos magna ex parte existimo, non sine honoris præfatione nominãdis, & eo quidem si nõ doctioribus, certe (absit inuidia verbo) melioribus, magisq; probatis deo & hominibus. Idem quoque Erasmus in sua cõcionatoria sylua ægrè admodum ferre videtur, si quis monachum appellauerit Augustinum, quem tamen perpetuo & continentiæ & paupertatis voto fuisse adstrictum inficiari nemo poterit, qui in suorũ lectione voluminum vel mediocriter versatus fuerit. Nam quid apertius his Augustini verbis: Episcopus sum, & pauperem me esse nõ erubesco. Quare? quia pauper paupertatem seruare promisi. Atque vtinam sibi temperasset ab istis Erasmus, in quibus edendis nihil præter dedecoris aut ignominiæ notam sibi comparasse potuit, vt qui volens nolens Augustinianæ familiæ legibus persanctè iuratis fuerat adstrictus. Prosit quod hic dicimus posteritati, vt saltem pudor auocet reliquos ab huiusmodi impio & irreligioso liuoris ac detractionis exemplo. Est autem hæc sylua, vt de ea aliquid obiter dicam, noua quadam feritate insignis aduersus doctores sacros, vt illud dicere possimus, Egressus est aper de sylua, singularis ferus depastus est eam. Singularem ferum appello, qui omnes præ se aut contemnit, aut mordet, aut lacerat, aut arrodit. Qui dum ad declamationes agendas quinam imitandi sint proponit, primas, cæteris longo interuallo sepositis ac semotis, Demostheni ac Ciceroni tribuit. Hoc est verè syluam constituere, hoc est frondosam verborum lenocinio, & ad aures mulcendas magis quam ad excitandos affectus Christiano more fructuosam.

Qui scire debuerat loquendum esse ad cor Hierusalem, quodque in concionibus declamandis post fusam ad deũ orationem prora & puppis in zelo consistit: nequando dicatur, Prophetæ tui prædicauerunt tibi falsa & vana, & no luerunt aperire iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiã prouocarent. Iam quis ignorat Paulum ex professo vni eloquentiæ postremum, aut nullum dedisse locum in concionibus tractandis: qui ad Corinthios priore cap. 2. ait, Loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes. Sed rem totam acu tangit in eo quod mox sequitur, Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus dei. Stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. Deniq; in hoc totus versatur, vt doceat aut nihil con ducere, aut parum habere momenti ad rem euangelicam humanæ sapientiæ lenocinia: quæ potius stupidum ac propria philautia ebrium reddunt concionatorem, quàm afficiant auditorẽ. Cuius hic vnus scopus esse debet, vt somnolentos excitet, gelu torpentes accendat, & de saxeis, quoad fieri poterit, cerea reddat pectora. Quod minime fieri poterit, dum aures tantum mulcentur, nisi cor ipsum penetrauerit vis atque energia verbi.

Nec hoc cõtenta errore viri hui⁹ audacia, suæ insuper cẽsurę temeritatẽ adiungit. Dum enim ab eo recẽsentur orthodoxorum dotes, vix vnus euadit & alter sine nota & flagello. Origenes nihil attingit affectuũ. Tertullianus apud hunc censorem nostrum durus & Afer, nec scurrilitatis suspicione carens. Hilarius parum habet gratiæ. Ambrosius nostræ ætati est incommodus, si creditur huic Rhadamantho, ac etiã subobscurus. Hieronymus, quòd non nisi presbyter esset, parum in concionando exercitatus. Augustinus, si tamen hunc audimus, numeris similiter desinentibus plus satis gaudet. Gregorius eadem nota apud hunc inuritur: cùm nesciat hic iudex temerarius, quantum possit ea docendi formula ad mouendos affectus, iuuandamque auditorum memoriam. & tamen hoc ineptum videtur, sed apud ineptos cacósque & iniquos in hac re iudices. Bernardus arte caret, ad formandum mores non prorsus inutilis, sed monachorũ. Gerson totus friget apud hunc: qui vti-

nam simili calore aut arsisset, aut certe tepuisset. Thomas naturæ potius debet quàm arti, si quid habet aptitudinis. Reliqua concionatorum turba apud hunc agonothetam, sed in ea re vix elementarium, iam toto est explosa theatro. Sicque nemo morsus huius apri euadere potest, etiã si pulsatus roget, & pugnis bene cæsus adoret, vt liceat paucis cum dentibus inde reuerti. Cùm autem vix vllus ex sacris doctoribus huius momi censuram morsúmve effugiat, soli Demosthenes & Cicero ad astra feruntur: adeoque præferuntur cæteris, vt neminem habeant cui conferri possint: cùm tamen, quod ad concionãdi negocium pertinet, & ad excitandos ad pœnitentiam animos nemo sit ex toto cœtu enumeratorum vel infimus quidem, qui non plus promoueat negocium Christianum, quàm omnes humanæ professores sapientiæ: cùm isti nihil habeant cum phrasi verbi diuini commune. Isti tantum mulcent prurientes aures: illi vero incendunt etiam penetralia cordis. Hoc agnouit qui dixit, nempe Paulus in Hebręis cap. 4. Viuus est sermo dei & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertintingens vsq; ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intẽtionum cordis. Sic hodie vltro se offerunt temerarij iudices rerum, quas non nouerunt, quas nec extremis quidem digitis vnquam attigerunt. Nam hic mihi dicat Erasmus, quoties ad populum concionem habuerit, quot hominum chiliades ad pœnitentiam adduxerit. Qui tamen editis à se opusculis monachorum centurias non paucas (quod vtinã negari posset) à propriæ professionis auocauit instituto: si non ex industria, certe magnã in hoc præbuit occasionem, dum illis arma parat tuendæ desertionis post desertum ac dissolutum suę professionis vinculum. Iam qui nihil est expertus (de vsu concionandi loquimur) quid scit? Scire autẽ debuerat, quòd vir simplex ac timens deum zelo dei armatus, etiam si modico humanæ sapientiæ fultus adminiculo plus adferet vna concione prouentus ad excitandos piorũ animos, addo etiã & impiorũ, q̃ quiuis tota eloquẽtię panoplia stipatus. aliàs euacuaretur crux Christi, vt Paulus indicat. & id quidem quotidiana docet experientia. Sed probatione quid opus est? Nonne hoc ipsum Lucas docet in

Actis apostolicis? scriptum enim est, Videntes constantiā Petri & Ioannis, comperto quòd homines essent sine literis & idiotæ, quasi dicas nihil artis habentes, admirabãtur, & nihil poterant contradicere. Curabit igitur cõcionator, qui modo rem vtiliter gerere volet, vt eos in se recipiat affectus, quos aliis infundere cupit. Id quod orationis zeliq; præsidio assequi poterit. Plus enim profecisse in concionãdo experientia docuit viros zelo armatos, quàm toto eloquentię satellitio stipatos. Sed quid opus est verbis, cùm nihil aliud doceat Paulus, qui ad Ephesios scribens ait, Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus rectores tenebrarum harum, cõtra spiritualia nequitiæ in cœlestibus: propterea accipite armaturã dei. Pergit autem describẽs huius armaturæ speciem. State, inquit, succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparationem euangelij pacis: omnibus sumentes scutum fidei, in quo posſitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Et galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum dei. per omnem orationem & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu, & in ipso vigilantes in omni instantia & obsecratione pro omnibus sanctis, & pro me: vt detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia, notum facere mysterium euangelij, pro quo legatione fungor in catena. ita vt in ipso audeam, prout oportet me loqui. Hæ scilicet sunt artes, hæc sunt vera concionatoris arma, quibus instruendus est ac muniendus Christianus concionator: nisi malit orator esse vaniloquus, carens fructu, solo frondium virore contentus. At huiusmodi oratorem non instruit Paulus, quem tamen, sed falso, ecclesiastem appellat Erasmus. Proinde caueat, ne his Sirenum cantibus indormiat, quisquis concionando saluti animarum inuigilat: ne multum laboris insumens, nihil inde referat prouentus, præter inanes apud quosdam auræ popularis flatus: vt olim per figuram accidit sacratissimis Christi discipulis, qui tota nocte laborantes nihil prendiderunt, vsque dum mittentes in dexteram nauigij rete, suæ piscaturæ vberes (& propria expectatione ac labore ampliores) fructus reportarunt. Quandoquidem euntes ibant & flebãt mittẽtes semina sua: veniẽtes aũt venerunt portãtes

manipulos suos. Et hoc quidē ipsum declarat germana vocabuli ratio. Siquidem coheleth, quem nos ecclesiasten dicimus seu concionatorem, Hebræis congregantem significat: eum nimirum designans, non qui spermologus tantum est aut seminiuerbius, nihil aliud quàm aures demulcens: sed qui viuę vocis ardore & actu auersos à lege dei, ac quodammodo Sirenum cantibus dementatos, ad pœnitentiæ lineam redire compellit. Vt est in fabulis de Orphæo, qui sua dictione & cantu ingentia ligni robora rupésque saxeas saltare cogebat. Quod nunquam efficiet dictio leniens tantum & mulcens, sed viua vox & zelo accensa: quæ meritò dici possit, lucerna ardens & lucens.

Hic mihi forsan respōdebit Erasmus, Hos ego omnes Christianos authores laudibus non modicis ad sydera tuli, singulorum singulas dotes enumerans. Verum quid prodest laudasse, quem mox sis vituperaturus? An non magis conspicua est vnica in scripto litura, q̄ tota etiā à tergo descripta pagina? Quid enim scripsisse iuuat, si mox obscures quæ scripseris, atra linea? Aut quid prodest puluери infixisse vestigia, si statim cauda deleantur? Quis nescit laudandum quidem parcè, sed vituperandum parcius. Deniq; quisquis ea quæ suis commendationibus ædificauit, vituperando destruit, quid aliud quàm præuaricatorem se constituit?

Atqui parum decorum quispiam existimabit defunctorum manes insectari, & certamen inire cum vmbris. Huic respondeo id, quod idem ipse Erasmus aduersus Albertum Pium ait, Quid si vmbræ etiam ipsæ post mortem sęuiunt, & post mortem duratura viris innoxiis vulnera infigunt? Hoc igitur in se recipiat Erasmus, quod Pio Alberto obiecerat. Iustum quippe est, vt quam in alios legē tulerat, eandem patiatur & ipse. Alioqui ego silendum existimarem, si ipsa quoque maledicta aut improbe scripta silerent. Quòd si adhuc apud posteros viuunt, lacerant, mordent, obloquū tur: an mihi non licebit pridem etiam mortuos, & eos quidem illustres & innoxios ab iniuria vindicare: quam recēs defunctus intulit, spirante adhuc vulnere? quando & hoc ipsum passim legimus fecisse ecclesię proceres ad retundēdam maledictorum aduersus pios memoriā, ne scilicet mor

bus vt cancer serperet: & vt vulnus acceptum antidoti ali- cuius cautione sanaretur. Licet igitur respondere mortuo adhuc litiganti, & quidem aduersus mortuos. Ignosce le- ctor, quòd in vindicanda Patrũ iniuria fuerim fortasse plu- rimus: quando hoc ipsum, si non aliud forsan atrocius, rei postulabat indignitas. Ad filum iam redeat oratio.

Tertium iam superest conscendere gradum, quò citius operis fastidium attingamus: quo scilicet demonstrandum est ineluctabili authoritate stabilitas adsertiones de cœli- batu non posse vllis aduersariorum machinis diuelli, sed neque dimoueri. Hic igitur finis erit tomi huius secundi.

TOMVS TERTIVS.

Inanes prorsus hæreticorum calumnias nullo negocio discutere ac dissoluere.



VVM ea quę inconcussa authoritate vsq; antiquissimo ac receptissimo probata reli- quimus, cuiuis theodidacto certissimã sint factura fidem, quam apud omnes quoque habitura sunt: nisi forte apud quosdã præ- fractos, & suis iam excæcatos affectibus: non desunt tamen, qui impudentium canum more obla- trent, deuoraturi si possint, quem nec arrodere queunt, mo nasticæ sacerdotalísve continentiæ statum. eoque perue- nire contendunt frigidissimis quibusdam argutiis iam plus millies fusis ac refusis, vt nihil aliud quàm actum agere vi- deantur, & crambem toties recoctam suggerere. Dicas eos nihil aliud quàm vomere vt resumant, & resumere vt euo- mant ea, quæ à priscis hæreticis prolata, à virisque sanctis- simis iampridem sepulta fuerant, voluentes ac reuoluentes. Sed omnia frustra, quod exitus ipse docebit. Consilium igi tur est fucos ac laruas retegere, retectas traducere, & quàm vanæ sint quamque futiles huiusmodi ratiunculæ manife- sta luce declarare: vt si saltẽ non pudet, vt sunt stupidi om- nes huius erroris adsertores: pudeat saltem eos, qui non-

dum delirium hoc penitus imbiberunt, videri tamen volũt huius erroris fautores aut imitatores.

Primum tamen omnium de via tollendum est, quod aduersariorum mentem transuersam agit, erroris offendiculum: quo plerosque laborare videmus, qui sentiunt quosdam ita esse affectos, vt omnino continere non possint. Hoc igitur primum scire oportet neminem esse, cui non sit aperta via ad cœlibatum, si tamen strenuam ac indefessam ad id velit adhibere operam. Hæc enim est omnium authorum sententia, qui carnis castra deserentes, spirituali lumine illustrati sunt. Id quod de singulis verũ est, secus de vniuersis. Nunquam enim fiet, vt vere dicas, omnes debere cõtinentiam amplecti: singuli autem si velint, possunt. Proferemus igitur primum huius adsertionis testem Chrysostomum super Matth. 19. cap. in opere imperfecto, Non omnes, inquit, capiunt verbum istud, sed quibus datũ est. Non dixit, Non omnes possunt, sed, Non omnes capiunt. Id est, Omnes quidem capere possunt, sed non omnes capere volunt. Palma proposita est: qui concupiscit gloriam, non cogitat de labore. Nemo vinceret, si omnes periculum pugnę timerent. Moxq; sequitur, Sed dicunt quidam illis sic datum fuisse. Rem non applicant pugnæ, sed homini: quanto magis nos cadentium negligentiæ imputare debemus, non difficultati virginitatis. Quod autem dicit, Quibus datum est: non hoc significat, quoniam quibusdam datur, quibusdam non datur: sed illud ostendit, quia nisi auxilium gratię acceperimus, nihil ex nobis valemus. Quoniam autem volentibus gratia non denegatur, in Euangelio dominus dicit, Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur. Debet autem voluntas præcedere, & sic sequitur gratia. Nam nec gratia sine voluntate aliquid operatur, nec voluntas sine gratia potest. Nam & terra non germinat, nisi pluuiã susceperit, nec pluuia fructificat sine terra. Hæc ille. Iam si quis forte calumniabitur non cõstare hoc opus esse Chrysostomi, illud saltem negari non poterit, quod in integra interpretatione legitur his verbis, Non omnes capiũt, sed quibus datum est. Ita rem extulit, præcipuamque ostendit: & hac ratione at-

traxit,atque hortatus est. Iam quomodo hortaretur ad impossibile? Sed audi quod paulò mox sequitur, Posse autem, inquit, nos perpetuam seruare continentiam ostendit, dicēs, Sunt eunuchi, qui ex vētre matris ita nati sunt: & sunt, qui ab hominibus facti sunt: & sunt, qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum. His omnibus ad oprandā eligendamque virginitatem inducit. Possibile nanq; id esse hominibus hoc fere modo confirmat, &c. quę ex eo sequūtur. Nec hoc contentus adi git, Qui potest capere, capiat. Ita magis animat atq; incendit, vel quia magnitudinē virtutis ostendit, vel quia inæstimabili misericordia sua noluit rem in necessitatem legis concludere. Et adhæc possibile id esse monstrat, vt eligendi cupiditas crescere possit. Sed si electionis opus est id, inquies, quomodo incipiens statim dixit, Non omnes capiunt, sed quibus datum est? Vt singulare id esse certamen perdiscas, non vt forte datam necessitatem suspiceris. His enim datum est, qui sponte id eligūt. Quod ideo dixit, vt ostenderet superiore nobis auxilio esse opus. quod quidem omnibus paratum est, si volumus in hac luctatione superiores euadere. Solitus quippe est, quādocunque res ardua proponitur, hoc vti modo dicendi. Vt etiam quando dicebat, Vobis est datum nosse mysteria regni cœlorum. Quod maxime ita esse præsenti loco approbatur. Nam si datum solummodo superius est: at nihil penitus, qui se in perpetua virginitate conseruant, conferre videntur: superflue ipsis regnum cœlorum pollicetur, nec merito à cæteris eunuchis distinguit. Hæc ille. Non poterat quisquam apertius docere, aut neruosius demonstrare, nemini esse denegatum assurgere posse ad continentiæ cœlibatúsque apicem & excellentiam. Iam si quæ sint, quæ impotentiam præferre videantur, ea non sunt ad necessitatem naturæ referenda, sed ad imbecillitatem potius ac molliciem eius, qui suæ desertionis prætextum aliquem quærit. Vt cùm quis dicit se non posse assequi id, ad quod trahitur inuitus, aut dum quietem præfert labori.

Nemo tamen arbitretur vnicum esse in hac sententia Chrysostomum, quando huic, vt in cæteris ferme, ita & in hoc maxime Theophylactus accedit his verbis, Dicit dominus magnam esse virginitatis possessionem. At eam non

ab omnibus recte seruari, sed ab his duntaxat, quorum cooperator est deus. Nam hoc loco, Datum est, valet, quibus cooperatur deus. Illis autem datum est, qui petunt. Omnis enim qui petit, accipit. Hæc ille. Si ergo nemini facultas negatur petendi, ita vt in cuiusuis facultate sit petere: quis dicere audeat aliquem non posse obtinere? Istud manifeste pugnaret cum euangelio. Nemo ergo catholice dixerit cuiquam esse imposibile continentiam adsequi.

Iam si cui hæc minime sufficiunt: præsto aderit non inferioris authoritatis testis Hieronymus, cuius in Matthæum hæc verba sunt, His, inquit ille, datum est, qui petierũt, qui voluerunt, qui vt acciperent, laborauerũt. Omni enim petenti dabitur, quærẽs inueniet, & pulsanti aperietur: Vbi autem dicitur, Qui potest capere, capiat: quasi hortantis vox domini est, & milites suos ad pudicitiæ præmium concitantis. Quem autem de impotentia sermonem interserit, ea (vt diximus) difficultatem & arduitatem quandam sonant, non omnimodam necessitatem.

Concinit huic sententiæ Augustinus sermone quodam de castitate, dicens, Nemo dicat à fornicatione se custodire non posse. Fidelis enim est deus, dicit Apostolus, qui non permittit nos tentari supra id quod possumus. Talis vnicuiqui homini tentatio datur, siue in carnis desyderio, siue in quacunque molestia: qualem aut cum laude vincere, aut cum opprobrio succumbere posit. Vides vt detur medium inter nubere & vri, nempe istud euangelicum, Hoc genus dæmoniorum pellitur ieiunio & oratione. Præsidiũ istud quod inter nubere & vri medium est, dum quis vehementer tentatus nec vritur, nec necesse est vt nubat, Paulus in se recepit, qui ait, Ne magnitudo reuelationũ extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter dominum rogaui, vt discederet à me. Et dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur. Vides vt tertio repetita oratione diuus Paulus à domino impetrauerit, vt liber esset ab vtroque incommodo, & tædio nuptialis vinculi, & vstionis flagranti periculo. Quod autem illic de titillatione carnis agatur, potius quàm corporali quapiam ægritudine, præter priscorum patrum consensum plane suffragatur

diuus Hieronymus ad Eustochium, cuius apertissime sententia recensetur in cap. Si Paulus. 32. quæst. 5. Quin & diuus Augustinus super eo quod ad Corinthios nono dicit, Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo: sentit non caruisse Paulum concupiscentiarum motibus, quos diuina tamen gratia refrenabat. Theophylactus in Corinthiis satius habet dicere huius stimuli nomine intelligi veneris quædam incitamenta, quibus nonnunquam vrgeretur. Primasius hoc loco, tametsi in aliam partem videatur esse propensior, sentit tamen in Romanis eum non prorsus stimulo caruisse carnis, dum ait, Quis neget Apostolum, cùm hęc diceret, adhuc fuisse in corpore mortis huius? Illud addés, Liberari à corpore mortis est omni sanato lãguore carnis concupiscentiæ non ad pœnam corpus recipere, sed ad gloriam. Quod quidem apertiùs liquet in Corinthiis prioris 9. cap. Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo. Non fingo (inquit Primasius) certamen, aut in vanum pugno Qui igitur certabat, non carebat stimulo vi abstinentiæ retundendo. Vbi & Augustinus ait, Quid faciet agnus, vbi tremit aries? Verum de hac re exactius in Cassiano collatione 23. Vtcunq; res habeat, vt nemo potest accusare impietatis eã, quam dicimus, de Paulo sentẽtiam canonis etiã authoritate firmatã: ita & catholice asseri potest non defuisse diuo Paulo remedium repetitæ orationis suffragio: vt scilicet neque vreretur, neque nuptiali iugo vinctus teneretur: quæ est nostræ adsertionis basis & fundamentum.

Idemq; alia via ex eodem stabiliri potest. Dico, inquit, non ego, sed dominus, mulierẽ à viro non recedere. Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Iã si demus eam non posse reconciliari suo viro (quod certe vsu venire potest) nec patere illi viam ad nuptias, vt Paulus ait. Quid igitur? dicemus ne eam vri debere? Absit, vt quis dicatur vinculis peccati ita adstrictus, vt inde resilire non possit. Quare necesse est, vt dicamus viam illi patere ad cœlibatum, quæ est media inter nubere & vri. De hac re absolutius cùm de diuortio, domino adspirãte, agetur. Videant hæretici qua rima hinc euadere possint: nec vltra suum tueantur errorem, dum peruicaciter adseuerant in has hominem detrudi posse angustias, vt illi necesse sit vel nu-

bere vel vri. Quod prorsus à scripturæ linea probatur alienum. Nec se vltra velamine verborum tueantur Pauli dicentis, Melius est nubere quàm vri. Hoc inquam non asserit Paulus simpliciter, sed ex conditione tantum, dum ait, Si se non continent, hoc est, si eis liberum est non continere, & strenue opere labores & tædia perpeti nolunt, iam secundum indulgentiam permittitur eis nubere. Dicit ergo, Si non continent, non quia non possunt, sed quia continentiæ inter aculeos tædium ferre recusant. Nam & hoc designat quod præcedit, Alioqui bonum est illis si permanserint sicut & ego. Quasi dicat, Illud & bonum & possibile esse in continentia permanere: si tamen efficaciter velint adhibere operam. Quod si nolunt continere, nubant: si tamen nondum (vt Sedulius ait) meliora deuouerunt. Vides quàm felici cursu respondeant sequentia prioribus.

Pari etiam lege tenebitur mulier, suique similes, cuius conditio recensetur in cap. Quod interrogasti. 27. distinct. quæ postquam cessit in fata maritus, viam perpetuæ continentiæ ex professo aggressa est. Quæ cùm verso velo recurrere vellet ad nuptias, quòd diceret se omnia per simulationem egisse: manifesto ecclesiæ decreto vetita est resilire, & iure quidem optimo. Vti enim ibi dicitur, Si consenserimus, quòd omnia ecclesiastica sacramenta quisque prout vult fingat, omnis ordo ecclesiasticus turbabitur, nec catholicæ fidei iura consistet, nec canones sacri rite obseruabuntur. Hæc ibi. Pari ratione non venit audiendus, qui post annuam instituti monastici professionem petit relaxari, allegans professionis verba protulisse, sed non ex animo: alioqui pari opera suo arbitrio relinquẽdi erunt qui se baptisatos quidem fatebuntur, sed præter animi liberum consensum. cui tamen sententiæ iura refragantur: in quibus est capitulum, Plerique, de consecratione, distinctione 4. & quadantenus facit capitulum de Iudæis, 45. distinct. Nam si ita creditur neganti se non consensisse, eo tandem peruenies vt paruulos baptizatis via aperiatur, cùm ad adultam peruenerint ætatem, resiliendi à iugo legis Christianæ, vt quos constet non adhibuisse consensum. Cum igitur nulla hic dispensatio locum habeat (nihil enim potest cuiusuis authoritas in destructionem, sed tantum in ædificationem)

omnino sequens videtur, locum non habere dispensationē in eo, qui post pronunciata professionis verba negat interuenisse consensum: quin potius cogendus est, vt sero saltem sapiat atque consentiat. Vnum enim pro multis dabitur caput, & eo facilius atque expeditius, quod non censeatur dolum passus, cuius meliorata est conditio. Cogendus itaque est ad pergendum in ea qua semel cœperit ire via. Imo ad consentiendum, si antea non consenserit. Quid autem efficiat, imo quid non efficiat dispensatio contra publicam authoritatem, id probat quod meretur nomen dissipationis. Videant igitur qui contra sentiunt, ne dum extricare volunt eos, quibus se præstāt indulgētes, ipsos potius innodēt & illaqueēt. Nunc redeundū est in viā. Nimirū. Quis enim credat neganti, qui sibi non vult credi affirmanti? Ananias quoque vita priuatus est, eo quòd mentitus esset spiritui sancto: quocirca meretur ista sua libertate priuari, vt quæ præiudicium sibi sponte fecerit, nemine ad id compellente. Iam quid faciat hæc mulier? Nubat. At hoc vetant canones. Vratur? Nequaquam. Hoc enim Dominus vetat. Quid igitur superest, nisi medium inter nubere & vri? Roget igitur cum diuo Paulo dominum, vt auferatur stimulus carnis. Quòd nisi refrigerium, nisi in æstu tēperiem senserit, mox auditura est, Sufficiat tibi gratià mea. Nam & virtus in infirmitate perficitur. Vides vt nemini deest medium inter nubere & vri, seu libertatem quis habeat nubendi, siue ea careat facultate, modo tamen egregiam & Christiano pectore dignam adhibere velit operam.

Docet Ambrosius lib. Hexameron 5. cap. 19. non ita abhorrere naturam à cœlibatu, vt eum potius ipsa quibusdam animantibus indiderit. Turtur, inquit, iterare coniunctionem recusat, nec pudoris iura aut complaciti viri resoluit fœdera, illi soli suam charitatem reseruat, illi custodit nomen vxoris. Discite mulieres quāta sit viduitatis gratia, quę etiā in auibus prædicatur. Paulo mox sequitur, Turturibus deus hūc infudit affectū, hanc virtutē continētiæ dedit, qui solus potest pręscribere quod omnes sequātur. Turtur non vritur flore iuuentutis, non tentatur occasionis illecebra, nescit primam fidem irritam facere. Hæc ille. Non igitur

excedit naturam hominis,quod accedit vsui & naturę turturis. Cur enim oratio apud hominem non impetrabit, quod turturi natura concessit, etiam non petenti? Idem libro de Viduitate sic ait: Quod pro consilio dicimus, non pro præcepto imperamus, prouocantes potius viduam, quá ligantes. Neque enim prohibemus secundas nuptias, sed non suademus. Hæc ille. Qui igitur dissuadet coniugiũ, scit non esse homini prorsus necessarium. Sed & coniugiũ seruitutem appellat. Absit autem, vt dicatur homo ita seruituti adligatus, vt libertatem sibi asserere non possit. Sic enim ait idem Ambrosius. Videtis quàm euidens sit coniugalis definitio seruitutis. Si igitur bonum coniugium serui tus est, malum coniugium quid est? Idémque ad virginem lapsam multis verbis cœlibatum non impossibilé esse prædicat, ita inquiens: Sed dictura es forsitan: Non potui sustinere, quia carnem fragilem circũferebam. Respõdebit tibi beata Thecla cum suis innumerabilibus socijs, Et nos eadẽ carne amictæ fuimus: non tamen plenum propositum castitatis nostræ, aut fragilitas carnis potuit mutilare, aut sæuitia tyrannorum deijcere. Hic nullam admittit Ambrosius necessitatis excusationẽ. Ex quo & illud sequitur, dicit aliquis: Melius est nubere quàm vri. Hoc dictum ad non pollicitam pertinet, ad nondum velatam. Cęterum quæ spopõdit Christo, & sanctum velamen accepit, iam immortali iũcta est viro: iam si voluerit nubere, communi lege coniugii adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur. Hęc ille. Est igitur medium inter hoc quod est nubere & vri, nempe vehemens & flagrans tuendi cœlibatus desiderium per seueranti ad deum oratione semper efficax. Idem de virginibus libro tertio blasphemiam confutat eorum, qui impietatis arguunt vouentes, ita dicens: Si improbum est virginitatis propositum, improba ergo vota sunt omnium, improba est vita angelorum. Sed improbum videri non potest, quod hominibus pro præmio constitutum est: nec potest eius rei species displicere, cuius veritas & in fructu est, & in voto.

Diuus Gregorius perpetuum cœlibatum holocaustum appellat homilia super Ezechielem vicesima. At nemo dixerit holocausti dignam esse nomine rem impiam,

aut penitus impossibilem. Pensemus (inquit ille) quid est sacrificium, quid holocaustum. Sacrificium est, cum quis suum aliquid vouit, & aliquid non vouit. Cum vero omne quod habet, omne quod viuit, omne quod sapit, omnipotẽti deo vouerit, holocaustum est. Qua in re haud dubie perpetua continentia clauditur. His adiungerem ex Damasceno, quę in causa sacræ virginitatis aduersus voluptatis patronos argutissime perorauit libro de orthodoxa fide quarto, capite vicesimoquinto, nisi scirem locum omnibus esse peruium. Diuus Thomas, quem tota recentiorum turba sequuta est, his per omnia succinit citatis in hũc locum veræ pietatis cultoribus, in ea potissimum interpretatione, quam in Matth. decimonono texuit: illud primùm asserens ex dicto apostolorum à Christo quidem non reprobato, sed temperato, per se quidem expedire cuiuis nõ nubere. At expediens nihil esse potest, nisi idem ipsum possibile sit: tametsi quibusdam ex circunstantia minime expediat, vt qui non assurgant ad eam virtutem, quæ ad huiusmodi continentiam viam parat. Illi ergo carent ea virtute, seu virtutis strenuitate: non autem prorsus absunt à continendi facultate. Mox pergit illud interpretari, Qui potest capere, capiat. quo loco Hieronymum sequutus, hæc verba exhortationis vicem habere ostendit. Facit, inquit, dominus, vti dux in exercitu, dum proponitur præmium ei, qui primo ciuitatem sit ingressurus. Sic Dauid olim Ioab proposito prę mio recipiendæ Hierosolymæ occasionem dedit. Sic Apostolus in Corinthiis ait prioris duodecimo, Aemulamini charismata meliora. Omnes tamen (inquit) oportet sectari meliora, si non effectu, certe (quod minimum est) affectu. Neque enim bonus est, qui qui non cupit esse melior. Quin & hoc adiungit, Tametsi non possimus ex natura hunc continentiæ attingere apicem, hoc tamen quiuis potest ex gratia, cum scriptum sit, Petite, & accipietis. Adde quod Paulus ait: Omnia possum in eo, qui me confortat Christus. Subiacet itaque voluntati isthæc gratiæ coniuncta potestas. Qua quis ita confidit vt dicere possit, Dominus illuminatio mea, & salus mea. quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Si consistant aduersum me castra, non time-

bit cor meum. Si quis itaque non posse continere dicatur: hoc non simpliciter, sed ex circunstantia accipiendum est, nempe vel ex initi conditione coniugij, vel ex eo quòd ita quis despondet animum, vt nolit ferre resistendi tædiũ, ac laborem. Hæc ferme omnia ex diui Thomæ sententia: quæ ita affabre textui congruunt, vt vix se offerat quod vel addi possit, vel adimi.

Hanc omnium doctorũ sententiã ex toto Pauli decursu demonstrari posse luculenter ostendemus, Omnibus .s. patere viam ad continentiam, qui modo sibijpsis ac diuinę gratiæ nõ deesse velint. Primum diuus Paulus vult omnes esse sicut seipsum. At certe ridiculum omnino foret quippiam serio desiderare omnibus, quod nonnullis impossibile esse iudicet. Nec desunt alia pleraque ex Paulinis locis argumenta. Siquidem ait ille: Bonum esse homini mulierē non tangere, seu (quod idem est) à carnali abstinere commercio. At nemo bonũ esse dixerit cuipiam id, cuius capax omnino esse nõ possit. Nemo enim dixerit bonũ esse homini, si fiat angelus secũdum naturam: aut asino, si volaret in cœlũ. Cur ita? Quia fieri nõ potest, vt hæc eueniãt. Ita quoque nemo bonum dicat esse cuiuis homini continere (nam indefinite loquitur Paulus) nisi huius continentiæ quiuis homo capax esse posset. Deinde subiungit: Si se non continent, nubant: nimirum hoc supponens, fieri posse vt se contineant, si egregiam & viro dignam adhibere velint operã: Nam hæc conditionis nota libertatem designat, liberáque facultatem. vt cũ domin⁹ dicit, Si quis vult venire post me, abneget semetipsum. &, Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. & alia id genus innumera, quibus in vtramuis partem libera designatur facultas. Item quomodo diuus Paulus cuiuis indifferenter consuleret iter virginitatis arripere, quã sciret multis impossibilem? Ait autem, De virginibus præceptum domini non habeo, consilium autem do. Porro aliud est scire aliquid non esse futurum, & scire fieri non posse. Nam idem Paulus ait: Deus vult omnes homines saluos fieri. Quod quamuis futurum non sit, hoc ipsum tamen est possibile, alias nemo vellet diabolum saluari, cum jam res transierit in impossibile. Huc etiam spectat quod adiũgit: Bonum est homini sic esse. Vbi indefinitè de homine

sermo est, hoc est, de quouis homine. Quod si bonum est, vtique & possibile erit. Pergit item Paulus, & ait: Solutus es ab vxore, noli quærere vxorem. Iam ad quid diceret Paulus, Noli quærere vxorem, ei, qui vxore carere nō possit? Poterit igitur quiuis solutus abstinere à re vxoria. Iam si fieri potest, adsertore Paulo, vt qui habent vxores, sint tanquam non habentes: quanto magis, vt qui non habent, deinceps vxore careant? hoc est, cœlibatum exercentes contineant? Aut quomodo diceret, Ad vtilitatē vestram dico, nisi illud possibile foret? Nihil enim potest dici vtile, quod ipsum non censeatur esse possibile. Addamus & istud: Qui iungit virginem, bene facit: qui non iungit, melius facit. Hæc igitur abstinentia possibilis est. Iam luce clarius, probatum esse videmus nemini, dum tamen piē id desiderabit, præclusam esse viam ad cœlibatum. vt ex hoc erubescere oporteat libidinum patronos, impudentissimósque veneris præcones: qui huic vni fundamento innixi, totam cœlibatus aciem diuellere ac prosternere se posse putant: nullum aliud remedium esse putantes ei, qui carnis sentit aculeos, nisi vnicum nuptiarum subsidium. Quod plane falsum est & impium, & sacræ scripturæ dogmati ex diametro aduersum. Quin potius intelligere debuerant certissimū illud spiritussancti oraculum (nisi quod docēt, quàm parum sint theodidacti, hoc est docibiles dei) quo reuelante scriptum est: Prope est dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet eos.

Iam satis in ipso limine sumus immorati, nunc opportunum fuerit propius accedere, ac breui manu ostendere, quibus laruis obducti sacri cœlibatus hostes suis technis, imò verius præstigiis, conentur causam suam argutiarum fuco reddere potiorem, vt explosis, quas oculis imprudentium obtendunt, nebulis, promptum sit cuiuis nudæ ac syncerae veritatis iubar intueri.

Sequitur responsio ad obiecta Munsteri.

Primum igitur obuiandum erit his, qui se veluti ante-

signanos in hoc certamine præstant & exhibent. Et in his Munsterus se aduersum offert, quasi primę aciei ductor Iudaico stipatus sodalitio, qui in Matth. xix. cap. nobis opponit impiam recutitorũ scommata & conuitia, quibus cœlibatum Christianum suis Thalmudicis figmentis flagellare non cessent. Aiunt enim (vt idem refert, impiè tamen magis quàm prudenter, cum videatur in eorum causam plus ęquo propensus) Christianos nihil aliud agere, quàm tradere filios & filias igne libidinis vrendos, dũ perpetuo eos addicũt cœlibatui, ac veluti immolare idolo Moloch, ignè scilicet concupiscentiæ traducendos. Huic Iudaicę perfidiæ patrono hæc vna responsio sufficiet, habendum esse pro lucro à viris turpissimis, & toto orbe profugis vituperari, quorum vituperia vice laudis nõ grauatim recipimus, qui pinde negligẽdi sunt, vt grunientes porci, canésve latrãtes. Nam quid detur, aut quid apponatur ad linguã dosam? Quid? nisi sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis. Acclamandum igitur erit aduersus hos canes hac propemodum formula:

Procul ô procul este profani,
Inclament omnes, totóque absistite claustro.
Virginei cœtus néve his accedite sacris
Impuri, exleges, gens tòto inglória mundo,
Gens superis inuisa bonis, odiosa quibusque.

Quid autem mirum, si lucifugæ istæ noctuæ ad virginitatis & continentiæ, atque adeò lucis euangelicæ iubar cæcutiant, quando nec ipsius Moysi, qui de facie prodibat, fulgorem sustinere potuerũt. Ideóque, vt diuus Paulus ait, non sine mysterio velamen ante oculos eorum positum est. Nam qui coniugii vincula ferre non potuerunt, ob duritiã cordis indulto illis diuortio: quomodo perpetui cœlibatus gloriam æquanimiter sustinere poterunt? Quare relinquamus illis deos iratos. A quorum patrocinio si in hac potissimum causa abstinuisset Munsterus, Minoritanum professus ordinem, id quod dissimulari non potest, & causam cœlibatus tuendam suscepisset, beatius cum illo actum existimarem. Quod minime egisse conuincitur ex suis ipsius verbis, dum ait, Vides hic lector, quomodo Iudæi nobis improperant confusionem nostram, imò confodiunt nos pro-

prio gladio nostro, dum diuum Paulum nobis obiiciũt, qui mauult Christianum hominẽ nubere, quàm periculose vri. Nec obstat, precib⁹ posse impetrari, vt detur vnicuiq; caste viuere, cũ Christus ita pronunciet: Non omnes apprehendunt verbũ istud, sed quibus datum est, quib⁹, inquit, datũ est, non qui suo arbitrio id elegerint, poterunt cœlibẽ agere vitam. Hæc ille. Quòd ergo hic dicit preces minus sufficere, vt detur cuique caste viuere, hoc planè Christianæ pietati aduersum esse monstratũ est in huius tertij tomi prçludio. Nec obstat difficultas: cum omnem difficultatem superet larga dei bonitas, quæ dat omnibus affluẽter, & non improperat. Huius magnificentiæ specimen prçbet dum ait Ioann. 15. Si manseritis in me, & verba mea in vobis mãserint: quodcũque volueritis, petetis, & fiet vobis. Quòd autem toties difficultatem in cœlibatu causatur:

Difficile est, fateor, sed tendit ad ardua virtus.
  Et facient pugnam præmia iuncta leuem.
In virtute labor: sed in ipso certa labore
  Spes aderit, certo tempore fida comes.

Denique Munstero sese aduersum præbet Origenes, qui homilia in Leuiticum 19. sic ait: Nutrimenta spiritus, sunt diuina lectio, sermo doctrinç: his alitur cibis, his conualescit, his victor efficitur. Nolite igitur dicere quia volumus, sed non possumus: volumus continenter viuere, sed carnis fragilitate decipimur. Tu certe das stimulos carni tuæ, tu eam aduersus spiritum tuum armas, & potentem facis. Idem sentit Chrysostomus ad Hebræos homilia 17. Non oportet dicere non possum continere, & accusare conditorem. Si enim impotẽtes fecit nos, qui iubet accusandus est. Qualiter igitur ais, multi non possunt? Dic, quia non volunt. Si enim voluerint, omnes poterunt. Propterea & Paulus ait, Volo omnes homines esse vt meipsum: quia sciuerat, quod omnes poterãt vt ipse. Hanc igitur facultatem omnibus competere posse ex hoc etiam non obscure colligitur, quod dominus ait: Sunt qui se castrauerunt propter regnum cœlorum. Atqui eadem est omnibus volendi, petẽdique libertas, & obtinendi facultas: cum dominus indiscriminatim solem suum faciat oriri super bonos & malos. Et Psalmista ait: Accedite ad eum, & illuminamini: &

facies vestræ non confundentur. Quis enim sperauit in eo & derelictus est? Et amico nocte etiam intempesta petenti non denegat panes quotquot habet necessarios. Nam filio petenti panem, nunquid porriget scorpionem? Quę omnia eo spectant, vt certo sciamus dominum nemini negaturum sua dona petenti. Prodeat huc etiam & probus & idoneus, suáque antiquitate venerandus Græcus author Euthymius, qui sententiam hanc confirmat his verbis in Matthæi 19. Soli illi sermonem hunc suscipiunt & ferunt, quibus datum est hoc donum à deo, datum est autem his qui petiuerunt. Petite enim ait, & dabitur vobis, petentibus (inquam) non simpliciter, sed feruenter & perseueráter, & vt semel dicam, sicut oportet. Significatũ est ergo virginitatem, dei donũ esse, datũ his qui petunt vt oportet. Hæc ille.

Hæc idcirco dicta volui, vt Munsterus suique similes decætero discant non blasphemare aduersus desertum (vt aiunt) per eos cœlibatum, qui scire debuerant suspecta eorum esse testimonia, qui signis propriis desertis ad contrariam aciem confugerunt.

Sunt tamen audentes contra sentire, sed illos conuincit ratio, nec enim habent quo se tueãtur, asseuerantes fieri posse, vt quis post votum, eo quòd cõtinere nequeat, possit dispensari, vt matrimonium contrahat. Eo enim (vt aiunt) casu, foret alioqui perplexus ille qui vtitur inter duo peccata, fornicationem scilicet, ac iuratę continentię desertionem: non intelligentes nunquam deesse remedium ei qui tentatur, quo liberari possit à lapsu carnis, cum certa fide teneamus id quod Paulus ait, Fidelis dominus, nõ sinet nos tentari vltra id quod possumus, sed faciet in tentatione prouentum, vt possimus sustinere. Nec seipsam potest negare veritas, quæ ait: Si vos cum sitis mali nostis bona data dare hominibus, quanto magis pater vester cœlestis dabit spiritum bonum petentibus se? Accedit & illud ex diuo Iacobo in canonica: Si quis indiget sapientia, petat à deo qui dat omnibus affluenter, & nõ improperat. Qui enim dedit votum vouenti, qui scilicet cœpit, ipse perficiet bonũ opus. hic autem supponimus, vouentem, se suaque omnia, dũ voueret, supposuisse deo, idque modesta synceraque mente. Iã quis negare audeat quod dominus ait, Si verba mea in vo-

bis manserint, quodcunque volueritis petetis, & fiet vobis. I nunc & dicas aliquem esse perplexum, cum facilis ac tutissimus (nisi te fides deserat) pateat ad salutem accessus. nunquam enim resiliet à conuentis qui te ad meliora vocauit. Contra igitur sentire, nihil aliud quàm diffidentiam olet. quæ non longè abest à blasphemia. Huc enim spectat illud, Modice fidei quare dubitasti? Falluntur autem qui existimant idem esse vri quod tentari. Vri enim malum est, propter quod vitandum, Paulus nuptias indulget, sed innuptis & viduis (vtpote nullo vinculo alligatis) Melius est (inquit) nubere, quam vri. non quod vtrunque bonum sit, vri enim malũ est. Quippe, cum is dicatur vri, qui tentationi succumbit. Melius itaque dicitur vsu vulgari, vt si quis ita dicat, Melius est quod tu comedas, quàm teipsum inedia interimas. hoc est, vnum tenendum est, vt aliud euites. Sic minus bonum, melius est malo: im propria tamen locutione, qua etiam dici solet, melius est vnum te oculum habere, quàm nullum.

Cæterum tentari, tantum abest vt malum sit, vt diuus Iacobus dicat, Omne gaudium existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis: & iuxta Paulum, Tentatio parit probationem. & ad Thobiam Angelus, Cum iustus esses, necesse erat vt tentatio probaret te. Quare & Paulus audiit, Suffciat tibi gratia mea. virtus enim in infirmitate perficitur, Vt inde elucescat tentationem fide ac humilitate comitibus, gratię & glorię potius quàm vitio esse affiné. Absit igitur vt idem sit vri quod & tentari. Vritur qui sum cumbit: qui vero tentatur, nisi prior animũ despondерit, victoriam obtinet. Fide enim sancti vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones.

Nihil itaque opus est, vt dicas votum continentiæ cedere præcepto de contrahendo. nunquam enim efficies vt quis teneatur ad contrahendum, post votum, ad fornicationem vitandam, cum non desit remedium auxilii diuini si petatur: secus auté de voto abstinentiæ à carnibus ad mortem vitandam, cum nusquam reperiatur medium ex diuino oraculo depromptum inter votum huiusmodi abstinentiæ, & extremum mortis periculum. Inde fit vt votum istud cedat præcepto de vita conseruãda, vbi iudicio humano nul-

lum aliud appareat remedium. Et hæc eſt cauſa differentiæ inter votum continentiæ, & abſtinentiæ à carnibus. Quod ſcilicet illud non careat diuino remedio, oraculo dei promiſſo. Iſtud autem non habet vnde vouentem poſsit à morte liberare, propter quod ſubtiliſsime Paulus ait, Eſca ventri, & venter eſcis, indicans eſcam eſſe neceſsitati extremæ ſubiectam, vt votum abſtinentiæ, neceſſitati extremæ cedat. Secus autem de actu fornicationis. vt enim idem ait, Corpus nō fornicationi, ſed domino. Secus item de remedio coniugii poſt votum ineundi. Non enim eſt neceſſarium, cum inter vtrumque ex diuino oraculo conſtet eſſe medium, quod vtinam attendiſſet dominus Alphonſus Canarienſis præſul, vir ſuſpiciendę & eruditionis & eloquentiæ, adde etiam & pietatis zelo alioqui inſignis, qui ab hac ſententia deflectere viſus eſt, citra tamen neceſsitatem. Siquidem in hoc vno hallucinatur, quod exiſtimet dari poſſe aliquos qui continere prorſus nequeant, quadam vocabulorum affinitate deluſus. Quaſi vero idem fuerit dicere, Sunt quidam qui non capiunt verbum iſtud: ſeu ſi dicas, qui capere omnino non poſſunt. Non enim capiunt, quia non poſſunt, ſed quia nolunt: quod certe poſſent ſi ſtrenuam in re huiuſmodi nauarent operam (vt ſupra ex probatiſsimorum authorum conſenſu demonſtratum eſt) Et huic affine eſt illud ex Paulo, Si ſe non contineant, nubāt. veluti ſi ita dixeris, poſſent quidem aſſurgere ſi vellēt, cum tamen ſint liberi & nullo alio aſtricti vinculo, nec vltra velint moleſtias carnis perpeti, indulgemus vt nubant. Indulgemus inquam, non iubemus, neq; conſulimus. Hoc enim eſt quod alio loco dicit, ſecundum indulgentiam dico: non ſecundum imperium. Et in Corinth. 7. Cui vult nubat tantum in domino, beatior autem erit ſi ſic permanſerit ſecundum conſilium meum. Vides neque præcipi, neque conſuli coniugium, quacunque etiam ex cauſa, cum aliud non deſit præſtantius à domino petendum protinuſque recipiendum (ſi obnixè petatur) remedium. Nemo igitur incuſet aut diuinam erga nos incuriam, aut abſolutam impotentiam, quin potius propriam cauſetur ſocordiam. Ideoque tota (vt in reliquis ſolet) via aberrat Philippus Melanchthon, virtutem dei & ſacra ſcripturæ myſteria

(quod sibi minimè videtur) ignorans, existimans præceptū esse matrimonium, ad molestias carnis vitādas. Si enim diuus Paulus ita existimasset, nunquam dixisset, volo omnes esse sicut ego sum. Item & illud, Volo vos sine solicitudine esse. Nam quomodo singulis suaderet cœlibatum, vbi certo sciret ex præcepto quosdam teneri ad nuptias ineūdas? Donum quidem dei est cœlibatus, sed cunctis obuium: si ea (qua decet) dexteritate petatur. Omne quidem datum optimum, & omne donum perfectū de sursum est. Quo si quis indiget (indiget autem qui voto astringitur) petat à deo, qui dat omnibus affluenter. Si apud aliquem essent in præcepto ineundæ nuptię, qua fronte Paulus auderet dicere, Solutus es ab vxore, noli quęrere vxorem? Delirat igitur Melanchthō, ex indulgentia faciens præceptum, cum Paulus spiritum dei ex professo habens, id omnino neget, omnibus ab vxore solutis suadens cœlibatum. Nec existimes vim præcepti habere verba hæc, Vnusquisque propter fornicationem vxorem suam habeat, sicut nec ista, Qui potest capere, capiat. Hæc enim consulentis sunt, illa vero indulgentis. Non semper præcipit modus imperandi. Verum aliquādo docet, suadet, precatur, permittit, indulget. Ex his omnibus apertissimè constat neminem esse aut fore cui nō protinus adsit continendi præsens facultas, diuino tamen freta subsidio. Quo fit vt nullo casu quis, voto semel (vt decuit) emisso, religione solui possit, vt ducere valeat vxorē, cuiusuis etiam dispensationis prætextu, præsertim ad molestias carnis vitandas, cum votum quod est in præcepto, nunquam cedat indulgentiæ de matrimonio. Aderit enim semper præsentius, præstantiusque remedium, quod quidem ita ad manum est, vt quemuis ab omni perplexitate, coniugii etiam ineundi obligatione absoluat. Qui contra sentiunt, falso innitūtur fundamento, addentes etiam verbo dei: qui cum contentus fuerit dicere esse aliquos qui nō capiunt verbum istud, illud de suo adiūgunt quosdam esse qui non possunt capere. Quod prorsus falsum est, & à communi ecclesiæ sensu alienum. Qua in re cum in reliquis elegantissimè disseruerit, imo (vt amplius dicam) non hæreticos solum, imo seipsum vicerit præsul Canariensis, in hoc tamen (bona eius venia dixerim) à recto nulla vi impulsus

mihi deflectere visus est. verum nemo vigilat omnibus horis. Legat qui volet Philippicam eius decimamnonam.

Quin tu mihi vide lector, hanc sententiam recidere in Melanchthonianum errorem, qui scilicet profitetur, eũ qui vritur (etiam alias voto astrictum ad cœlibatum) præcepto vrgeri ad ineundum coniugium. Nam si nullum datur medium inter id quod est nubere & vri, & neminem inconcusse tenemus esse perplexum inter duo peccata, quid aliud sequi potest quàm sacerdotem, ne vratur, teneri ad coniugalem copulam ineundam? Quod si verum est, quid opus erit dispensatione ei qui ingenuè profiteatur se velle parere mandato de suscipiendo coniugio, ne scilicet vratur? iam quis erit modus aut finis dirimendi voti, vt quisque pro arbitrio confidenter asseueret sibi imminere lapsum carnis, nisi adsit remedium coniugalis copulæ? Mox futurum vides vt sibi quisque, dum volet, viam apertam inueniat ad nuptias celebrandas, prætextu huius præcepti de matrimonio ineundo, ad vitandum scilicet imminentem lapsum carnis. Absit autem à disciplinæ ecclesiasticæ honestate tã late patens, tamque perniciosus error.

Oportuit in ea re fusius quàm voluissem euagari: neque enim breui manu de via tolli poterant, quæ se offerebant offendicula.

Videant igitur quàm sibi non constent, imo quàm longe à synceræ religionis orbita deflectant, qui suo patrocinio (vt ne dicam lenocinio) sacerdotium matrimonio laxatis canonum habenis coniungere tentant. Primum illud mihi videant quam sint suæ conditionis immemores, qui in hoc à deo vocati erant, vt se opponerent sepem pro domo Israel, quique iuxta Vrbani pontificis edictum, erubescere debuerant, se tamen impudenter exhibent patronos eorum quos pudor ab huiusmodi petitione auertit. Illud mihi dicant connubiorum sacerdotalium defensores ac pręcones, An de futuris tantum loquãtur, qui nondum castitatem professi sunt, an de his etiam qui se in huius voti solennis vincula coniecerunt, nemine quidem vrgente, nemine compellente, quin potius absterrentibus his qui huic negocio præsunt, illud identidem repetentibus, Sumite materiam vestris, qui acceditis æquam viribus, & versate diu

quid ferre recusent, quid valeant humeri. his inquam atque aliis admoniti sermonibus, frustra implorant dispensationis auxilium. cum nec sit dispensandi materia, sed neque legitima causa. materiam subesse negaui, cum satis constet nulla dispensatione effici posse, vt ius tertio quæsitum ab eo auferri possit inuito. Cum ergo ius sit quæsitum deo & ecclesiæ ex traditione corporis per votum solenne ad perpetuæ castitatis obsequium, auferri non potest huiusmodi seruitus deo & ecclesiæ promissa, nisi constet per reuelationem aut decretum de consensu partis cui ius quæsitum est. Nam summus pontifex tametsi possit iritare contractum antequam fiat, nullatenus tamen poterit contractu iam celebrato auferre ius acquisitum parti. Procul hinc igitur abest relaxandi materia. Causa vero dispensandi est iusta necessitas, nõ tam priuata quàm publica, quam longe hinc abesse promptum est ostendere. Publica nulla subest, imo potius sequitur totius ordinis ecclesiastici iniuria. daret enim hæc contagio labem, etiam in plures, sicut grex totus in agris vnius scabie cadit ac porrigine porci, Vuáque conspecta liuorem ducit ab vua. Sed neque occurrit necessitas priuata, vtpote vitandi lapsus carnis: neque enim ignis igne extingui solet (imo potius augetur) sed abstinentia & oratione. Nam spirituales morbi spiritualibus remediis compescẽdi sunt, & aqua potius frigida solitarii mœroris ac plãctus incendium extinguit quàm crassus liquor olei, ex copula carnali procedens. Non est igitur copula carnalis opportunum vitandæ libidinis remedium, minus etiam necessarium: cùm intercedere possit promptissimum aliud & sanctius & prõptius è cœlo veniens temperamentum si petatur. Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit inuenit, idque apud eum qui facit in tentatione prouentum vt possimus sustinere. Quin potius blasphemat qui asserere audet, vnicum vitandæ libidinis remedium apud eum qui tẽtatur, esse coniugium. Quid enim aliud sequitur, quàm nullam esse spem auxilii à deo, seu quia nõ possit, seu quia per duritiem quandam non velit? vtrunque meram olet blasphemiam, diuersum prorsus atque aduersum asserente scriptura quam supra retulimus. Omnis qui petit, accipit ab eo qui dat omnibus affluenter, & non improperat. qui etiã se

propensissimū in nostra subsidia his verbis declarat, Si vos cum sitis mali, nostis dona data dare hominibus, quanto magis pater vester cœlestis dabit spiritum bonum petentibus se, gratiam inquam aut resistendi, aut certe flammam illam extinguendi. Subtracta igitur necessitate euanescit dispensandi, aut facultas aut occasio. Nunc superest vt dicant, detrahendum posteris iugum castitatis impositum, vt suo scilicet quisque cōsilio relinquatur an velit continere, an cōiugium inire. Sed quis conduxit hos patronos ad suffragium præstandū his qui nondum petierunt, neque adhuc cogitarunt? Reliqui pro patrocinio mercedem accipiunt, rogati in re etiā honestissima. Isti in re turpi nullo (de quo constet) catholico atque orthodoxo conducente aut rogāte, suam conferunt operam. Prodeant prius & nominatim se inscribant, qui abrogandæ castitatis patrocinium implorant, protinus audituri, qui vult edere nucleum frangat nucem. Delicatus est miles qui sine certamine vincere cupit. Si non vacet tibi castitatem seruare, nec vacet etiam ad altaris ministerium accedere. Aulæ conditiones in se recipit, qui aulicos ambit honores: perpetui sacrificii ministerium, perpetuam castitatem exigit. In virtute labor, sed spe minuēte laborem, gaudia succedunt. Sustine igitur, cum spe tamen non defuturi auxilii tentationes, & abstine à carnalibus desideriis quæ militant aduersus animam. Ne quęre glandes frugibus inuentis, cedat copulæ carnalis intempestiuū pharmacum, diuino ac pręsentissimo (si petatur) remedio. Prope enim est dominus omnibus inuocantibus eum in veritate. Voluntatem timētium se faciet, & deprecationē eorum exaudiet & saluos faciet eos. Quis ferat petulantiam serui, qui onꝰ suis humeris à domino suo legitime impositū nedū contendat excutere, imo vero hoc ipsum reliquis etiā subire volētibꝰ, vt illud etiā abiiciāt persuadere conetͧ? Quis patiatur seruū domino ius potius dicere, q̄ ab eo recipere, ambientē? An nō hoc ipsum sapiēs vsq; ad horrorē detestatur, inquiēs, Propter tria cōtremiscit terra, propter seruum dominantē, & stultū quando satiatur panibus. Prouerb. 30. Idipsum Ecclesiastes vsque ad stuporem admiratur cap. 10. Vidi (inquiēs) seruos incedētes in equis, & principes ambulantes super terram, quasi seruos. Dominorū enim est legē

imponere ſubditis,quos iuſſa capeſſere neceſſe eſt,ſi tamen cupiant oblati conſcẽdere culmen honoris.Nemo cogit ac cedenté ad ordines continere.hoc ſolum prędicitur ordinã do,nõ niſi per caſtitatis limẽ iter eſſe ad ſacri miniſterii decus & honorẽ.Capulo gladius accipitur,anſa quodlibet vas retinetur,freno equ⁹ ducitur,cornu taurus ligatur,vno cœlibatu gradus ad ſacri ordinis faſtigium conſcẽditur.Iá non eſt contendendũ de legibus toties repetitis ac refricatis,omniumque conſenſu ſtabilitis,ſed potius viuendum ſecundum leges.Qui enim petit traditionẽ hanc ab Apoſtolis ad nos deuolutam de non cõtrahendo poſt ordinem ſuſceptũ matrimonio abrogari aut antiquari, pari opera expectet ſacrificium miſſæ , orationes pro defunctis,purgandarũ animarũ ſuffragia poſſe aboleri. Quæ omnia ex æquo ab vna potiſsimum radice traditionis apoſtolicæ procedũt.O infœliciſsimos Epicureos nuptiatores atq; infœliciores eorũ patronos,qui relicto refrigerio fontis aquæ viuæ , fodiũt ſibi ciſternas diſsipatas in abrogandis continẽtiæ legibus,quæ cõtinere non valent aquas pietatis aut honeſtatis. Cœlibes vix habent vnde ſe ac famulitium ſuum alere poſſint,vnde igitur nuptiarii iſti ſibi cõgregare poterũt opes ac ſubſidia ad vniuerſam familiam alendã neceſſaria? Quin defuncto ſacerdote,qua tandẽ arte vxor vidua filiiq; orphani ſibi vitam comparabunt, cum beneficium ad patroni volũtatem, ad aliam manum deuenerit? An non ſufficit tibi pauperum, qui paſsim obuii ſunt ſubleuanda inopia , niſi aliam tibi familiam ad ſatiandam tuam libidinem compares? cui alẽdæ vix ingens opum theſaurus,vel ſacerdotiorũ immenſus cumulus ſufficere poſſit. Nihil in his nuptiatorum votis cernere eſt,niſi turbatum,cõfuſum, ac plane præpoſterũ.Qui ſacris initiantur , non recipiuntur , niſi prouentus alicuius continui ſubſidio freti:quo ſuffulti, tenui ſaltem frugalitate vitam tranſigere poſsint .Nunc quàm immenſus exigetur titulus ab eo qui coniugium inire velit & ſacerdotium, ingens vtique & immenſus , qui niſi pinguis ſit & opulentus, familiæ impoſterum alendæ non ſatis vnus erit. Quid illud? an in fide & moribus in hunc vſque diem errauit eccleſia , quæ ſemper obſtitit ne coniugium ſacerdotio miſceretur? Illóſne ſtupidos eſſe dicetis (ô nuptiatores im-

probi)vos autem ſapientes? At ipſi ſpirituales erant, qui omnia diiudicabant,etiam profunda dei. Vos autem carnales. Atqui vir carnalis(vt ait Paulus)non ſapit quę dei ſunt, ſtultitia enim eſt illi,qui dum ſe exiſtimat ſapientem, ſtultus efficitur. Præſtiterit igitur vt viuamus moribus præteritis, etiam ſi loquamur verbis præſentibus, quando (vt ille ait)Moribus antiquis ſtat res Romana viriſque, quod de ſpiritualibus intelligendum eſſe nemo diffiteri poterit. Illud autem mirum, quod qui volunt intrudere in ſortem ordinis ſacerdotalis coniugium, arceant coniugatos à ſuo ipſorum cœtu ac contubernio. Quid aliud audituri ſunt, quàm quod dici ſolet, Tute patere legem quam ipſe tuleris? Abſit igitur vt cœlibatus ex profeſſo cultores, viam ſuo patrocinio aperiant nuptiatoribus, quos, velut ignauum fucos pecus à præſepibus ſacrorum ordinum arcere debuerant. Vnus eſt (etiam ſi cæteri abſint) theologorum ordo, qui huic nupturientium torrenti ſe totum opponere debet, nec ſinere omnia in peius ruere, ac retro delapſa referri. Habes igitur qua ratione queas coruos deludere hiantes: qui non in aliud laborant, quàm vt carnalia ſpiritualibus, terrena cœleſtibus, lutea aureis & argenteis miſcendo confundant. denuo idolum effingenteis comminuendum potius quàm venerandum: cuius caput ſacerdotii titulo venerabile, aureum, pedes vero negotiorum ſæcularium ſolicitudine ferrei partim, partim vero teſtei ſint & lutei. Iam quid alias nationum externarum academias dicturas cenſes? ſi ea quæ cæteris prælucere conſueuit inter orthodoxorum collegia aut vna,aut prima ad huiuſmodi deuorandas delicias habenas laxauerit. Ecce (inquient)quomodo argētum verſum eſt in ſcoriam, quomodo mutatus eſt color optimus,quomodo filii Effrem intendentes & mittentes arcum conuerſi ſunt,imo peruerſi in die belli.Dicas oues in hircos mutatas,aut certe canes in lupos.Sint igitur procul à nobis ſacer ordo & fœmina iuncti.Nos patrum veſtigiis inhærentes, quod ſupereſt, relinquamus lutheranis deos iratos, niſi breui ad matris ſuę ſinum reditum maturare parent, ac ſeſe infra patrum ſacrorumque eccleſiæ procerum placita continere.

Pigeret ſane nimiumque puderet à patrum placitis ita

abhorrere, vt ab eis in ea re cõſtitutos terminos refigendos eſſe cenſeremus. Habemus autē cœlibatus in ſacris ordinibus conſtituendi anteſignanum ducem Ioannem de Gerſono, in dialogo ſuper ea quęſtione confecto, ſub annũ domini quartum ac vigeſimum ſuper quadringenteſimum ac milleſimum. Qui rebus ad viuum expenſis, totus in hoc eſt vt citra controuerſiam dicat, omni ſpe adempta connubii, rectè à patribus, ordinibus ſacris adiunctum fuiſſe cœlibatum. qui naturæ geniales querelas componens ita nomine Sophiæ peroraſſe legitur. Dicebat enim natura, Cur non cenſes tollendum eſſe votum à ſacerdotio, cum non ſit ei diuina aut inſeparabili ſocietate connexũ? Ad hæc ita Sophia reſpondet, quaſi ſtet in nõ vouendo tota reformatio, quaſi non peccent vxorati. Sed nec refert magnopere, ſi votũ nequaquam ſit annexum eſſentialiter ſacerdotio, poſtquã ita coniunctũ ſibi eſt, vt omnis illud ſuſcipiens nedum voueat, ſed votũ etiam ſolennizet, matrimoniũ dirimens iam contractũ, non minus quã in monachis. Sed nec plus habet diſpenſabilitatis vnũ quam alterum, niſi quod facta monacho diſpenſatione, deſinit eſſe monachus, quoniã ſtatus importat tria vota de ſui ratione. Sacerdoti vero conceſſa diſpenſatione voti, ſacerdos tamen manet. At vero hic non verſatur reformatio principalis, ſed per alia media qualia nunc & hic aperire non eſt conſilium. Hoc dicimus, quòd de duobus malis minus eſt, incontinentes tolerare ſacerdotes quàm nullos habere. Sicut abutimur bonis dei, ſic vtitur ipſe malis noſtris ad electorum ſalutem, nominatim in ſacramẽtorũ miniſtratione. quod olim figuratũ eſt in paſtu Heliæ per coruos, in quibus peccatorum nigredo figuratur. Non expectet aliquis quòd area dominicæ miniſtrationis tanta poſsit ſollicitatione purgari, quin plures ſint paleæ vitioſorum, vt luxurioſorum inter quos latent & fouentur, tanquam grana puriſsima cultores caſtitatis. Quis ſcit ſi plures nunc eccleſiaſtici cuſtodiant in cœlibatu caſtitatem illibatam, quam ſi iuncti coniugio maritalem integrè conſeruaſſent? Quis neſciat in multis & de multis deſiderabilibus facilius eſſe totaliter abſtinere quàm vſum moderari? Vidit hoc Epicurus aſſertor voluptatis, qui teſte Seneca dicit, Vis diues fieri: non diuitiis adiiciendũ, ſed

cupiditatibus & concupiſcentiis detrahendum, adeo vel diuitem vel voluptuoſum fieri non in exterioribus ſitum eſt, ſed intra nos. Quid quod non humana præſumptione regitur eccleſia, ſed ſpiritus ſancti directione prout omnia tẽpus habent. Fuit eccleſia primitus ſiue dotatione temporalium. qualiter poſtmodum per Silueſtrum & alios ſanctiſſimos ſpiritus ſanctus large dedit. ſic aliquãdo per coniugatos regebatur eccleſia, vt in antiqua lege: nunc per cœlibes in noua. Concludimus tandem nos interea contentos eſſe debere remediorũ poſtulatione, qualia qualiterque tetigimus, vt tranquille concorditerque maneamus ſororio nexu iunctæ, natura cum ſophia. Natura, fiat precor ita. Hęc Sophia. In ſumma, vis dicam, audiendus eſt nobis Paulus perpetuo carni indicto ſilentio, qui priore ad Corinthios 6. ſic ait, An neſcitis quoniam membra veſtra, templum eſt ſpiritus ſancti qui in vobis eſt, quem habetis à deo, & non eſtis veſtri? Empti enim eſtis pretio magno. Glorificate & portate deum in corpore veſtro. Idemque 7. Vnumquęque ſicut vocauit deus, ita ambulet, & ſicut in omnibus eccleſiis doceo, vnuſquiſq; in ea vocatione in qua vocatus eſt, in ea pmaneat. Mox ſubiũgit, Pretio empti eſtis, nolite fieri ſerui hominum. Minus autẽ velitis imperioſiſsimũ omnium muliebris querelæ ſubire iugum. Nam vt ille ait,

Semper habet lites alternaque iurgia lectus,
In quo nupta iacet, minimum dormitur in illo.

Iam qui volunt omnes de medio tolli abuſus, præterquam quòd ſuis futilibus plane remediis, nouos nec minus noxios inducunt & aduehũt, prius naturæ totius ordinem inuertent, quàm finem impoſuerint his qui paſsim ſuboriuntur, quique ſine magiſtro diſcuntur ſeu vitiis ſeu erroribus. Nouerint interim inepta remedia veris quandoque periculis eſſe nocentiora. Nouerint probrum probro non eſſe diluendum. Nouerint ſibi delegiſſe dominum ex ſacerdotali ordine multa hominum milia quæ non flexerunt genua coram Baal. Nouerint & ſolem apud Græcos eſſe in occaſu, qui pridem rutilantior oriebatur, non multo poſt quàm à ſe abiecerunt caſtitatis iugum ſuauius, ſolóſq; eſſe calogeros thori maritalis expertes, qui apud eos de integro ſacerdotum functiones impleant, pluréſq; eſſe fili-

lios desertæ à coniugali thalamo ecclesiæ Latinæ, quàm eius quæ habet virum, Græcæ nimirum, quam scimus omnes durissimam sub Turca subire seruitutem: cui merito illud obiici potest, Vos dereliquistis dominũ, & ipse dereliquit vos in manu Sesac, vt vel ičti saltẽ deprehendatis, quãtum intersit inter iugum dei, & iugum hominum. Quod si aliqui labantur, vt est via carnis lubrica, non longe aberit qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Reliquum est, vt dicat qui lapsus est, Priusquam humiliarer ego deliqui: propterea eloquium tuum custodiui. Nam vt est in prouerbio, Qui fugit, denuo pugnaturus est. Fidelior certe, iuxta Gregorium, factus est Petrus, postquam fidem amisit.

Satius esse intelligant, vt aliqui ad altiora vocati, cessent à generatione quàm præ multitudine sobolis gens vna aliam loco extrudere conatur. Interim non negauerim adolescentulis, ac bonarum etiam literarũ ignaris negandum esse ad sacra aditum, expectandámque esse maturiorem ætatem. vtpote si videbitur annorum triginta, quę nisi adsit, nullus pateat ad sacros ordines aditus. Cesset igitur atro carbone notãdus Melanchthon, nigra dealbare, & alba loquẽdo denigrare, & veterum canonũ placita: quem ita Phygius Campensis suis depinxit coloribus, vt si quis vltra quicquam attingere velit, opus eius absolutissimum obscuret potius quàm illustret. Iam ad alia properemus.

Sequitur Responsio ad Buceri calumnias.

HAnc, quam prędiximus, velitationẽ atrocitate superat Bucerauus incursus. Qui peculiari quadam temeritate hinc suam delirij telam orditur, asserens, quòd cœlibatus Nonnorum (vt vocat) & Nonnarũ bonus esse non possit: quòd non assumatur propter regnum cœlorũ, vt scilicet verbo & opere posit promoueri. Quo loco si de verbo tantũ prædicationis agitur sexũ totum muliebrẽ à sacro cœlibatu excludet: de quo à Paulo dictũ est, Mulierẽ in ecclesia docere non permitto. Quin & chorũ anachoretarũ vniuersum hac sęuissima sua sententia damnabit: qui cùm cœlibatũ mordicus tenuerint, à prædicatione verbi abstinuerunt, sibi tantum canentes musisq; cœlestibus, vna conserti soli-

tudine. Deniq; omnes literarum ignari à cœlibatu excludētur, eo quód verbo prædicationis ꝓmouere non poſsint, aut dilatare cœleſtis regni negociū. Si autem verbū etiam ſelectæ conſolationis intelligat, quid obſtat, quo minus verbo & opere, imo & magnæ pietatis exēplo, Nōni (vt ait) & Nonnæ regnum cœlorū promouere poſsint? Cur non ſolitudo plurimum momēti habeat ad cœleſte regnum propagandū, cùm multum valeat oratio iuſti aſsidua? Diuus Gregorius monaſticū ordinem tanti facit, vt piā eorū conuerſationem miraculis claruiſſe teſtis ipſe oculatus cōſtāter aſſeueret. Bucerus negat deo optimo placere monachiſmū. Quæſo, vtri fides potius adhibenda eſt? Spirituali ne, an carnali viro? Pio ne, an impio? Idē ipſe Gregorius monialiū lachrymas & abſtinētiam vrbem Romam à Longobardorū vi & iniuria tutā reddidiſſe ingenue teſtatur. Bucerus quoad anniti poteſt, diris deuouet hunc ordinē. Quid hic agendū nobis eſt? An cæcum ducē ſequemur, oculato teſte poſthabito? Nemo ſane id faciat, niſi qui impium ac irreligioſum ſe eſſe demonſtrat. Gregorius ad Mauriciū Imperatorē ſic ait, Scio quanti his diebus meis in monaſterio milites conuerſi miracula fecerunt, ſigna & virtutes operati ſunt. Quòd ſi cœlibatus iſte ad hoc conducit, cur tam improbus eſt & iniquus iudex, vt ſolitariā vitā cœnobiticāve agētes ſua ſentētia dānatos velit, qui cōtinentiā amplectūtur? Cùm dicimus orantes, Adueniat regnū tuū: nō de verbo tantū prædicationis agitur, vt neq; alio loco, dum Chriſtus ait, Primùm quærite regnum dei, & iuſtitiam eius. Promouetur certe regnum cœleſte, non prædicatione tantum verbi, quinetiam puræ ac ſyncerioris vitæ exemplo, flagrāti oratione, & diuinæ contemplationis theoria: quæ vna dos therapeutici ſtatus conditionem implet. Monachus enim non prædicantis, ſed lugentis habet officium: vt ſua & populi peccata defleat. Miſeranda certe eſt hæreticorū cæcitas: quos ita mentis vertigo agit præcipites, vt videre nequeant vbi corruant. Nemo ab iſtorum iniuria tutus euadet, ſi tamen audiatur tam impia ſententia. Soli duces verbi cœlibatum colere poterunt, ſi damnatur ſolitariorum continentia.

Quod autem dicit Nonnos & Nonnas non ob cha-

ritatem ampleċti cœlibatum, vnde illi audacia tanta, vt sal ua fronte iudicare audeat alienum seruum, qui domino suo stat aut cadit? Nam huiusmodi charitatis intentio secretius in peċtore residet, quàm vt à quouis honine agnosci possit: quanto minus iudicari?

Nec hoc contentus errore, amplius ineptire pergit, dicens, quòd vt cœlibatu aliquid merearis apud deum, nuptias posthabere impietas est. Hoc enim est deo non satis fidere, dum poscitur merces pro eo, quod aliàs deo debetur, & quod vere donum dei dici debeat. Et vt ad solitas suæ temeritatis artes recurrat, ait in cœlibatu monastico nihil aliud esse quàm hypocrisin, ventrísque ac nominis studium. Hoc inquam improperare audet viris etiam sanċtissimis, neminem excipiens, omnes in vniuersum eadem nota inurens, ventris vt siquis alius, venerísque patronus præcipuus. Qua in re Antichristi personam sustinet, dum extollitur super omne id quod dicitur deus, de internis affeċtibus iudicans, priusquam venerit dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum. Solius enim dei est scrutari corda & renes. Quid insultius hac assertione, quæ spem omnem mercedis de Christiano peċtore tollere nititur, cùm contrarius accedat Paulus, dicens, Sic curro, non quasi in incertum, sed potius de mercede futura certus. Qui & alio loco dicit, Scio cui credidi: & certus sum quia potens est depositum meum seruare in illum diem. Iam enim docuimus mercedem à deo expeċtari posse, & quidem sanċtissime, ex gratia & promisso, magis quàm ex obligatione & debito, etiam si id ipsum propter quod merces expeċtatur, fit donum dei. Nam omnia quæcunq; à nobis aut fiunt aut offeruntur, dona dei sunt, iuxta illud 1. Paralip. vltimo, Cunċta quæ in cœlo sunt & in terra, tua sunt. Tuæ diuitię, & tua est gloria, tu dominaris omnium. Tua sunt omnia: & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Nam omne datum optimum, & omne donum perfeċtum desursum est, descendens à patre luminum. Agnouit etiam hoc Martialis ethnicus, qui ait,

Iupiter ambrosia satur est, & neċtare viuit:
Nos tamen exta Ioui, thura, merumq; damus.

Alioqui si quod habet, non vult: quęso, quid accipiet? Dona

igitur dei sunt,& de manu dei prodeūtia : ex quibus licuit semperq; licebit,non exiguā expectare mercedem. Frustra alioqui nobis præmia proposuisset,dicens, Ibunt, qui bona egerunt,in resurrectionem vitæ:qui vero mala,in resurrectionem iudicij. Et qui redditurum se pollicetur vnicuique iuxta opera sua,quid aliud q̄ expectandā boni operis mercedem docet? Nobis igitur sperare licet.nam & sperare iubemur. Nec aliquid piaculi fuerit,si quis nuptias cœlibatui postponat. Quod tamen impius iste impietatem vocat . Vt enim lib.de viduis Ambrosius ait, Non aliud reprehenditur,vt aliud prædicetur:sed omnia prædicantur,vt quę meliora sunt,præferantur. Honorabile coniugium,sed honorabilior integritas. Nam & qui matrimonio iungit virginem suam,bene facit: & qui non iungit,melius facit. Quod igitur bonum est,vitandum non est : sed quod melius est, eligendum est. Vbi præceptum est , ibi lex est : vbi consilium,ibi gratia est . Licet itaque nuptiis præferre cœlibatum : quem(vt idem ait) dominus honore prouocat,magisterio docet, inuitat exemplo . Inuitat & Paulus dicens, Bonum est,si maneant sicut & ego.

Verùm multi sunt,inquit,qui continētiam appetentes, sese exponunt grauissimis incontinentiæ periculis. Ad id respondet Ambrosius, Ergo nemo militet,ne aliquādo vincatur:nec pedis vtatur obsequio, qui gradiendi periculum reformidat: nec oculi intendat officio, qui concupiscentiæ timet lapsum . Hac certe ratione tecta nunquam essent subeunda,ne quis è tecto lapis delapsus nos offendat. Nec fabricanda arma. nam plerique gladio periere. sed nec sumendus ad leuandam inopiam cibus. Nonnulli enim, faucibus obstructis, interierunt. Nam & quidam acino, alius vero pilo strangulatus expirauit. Sed & in ipsum Deum hæc noxa perueniret , si huiusmodi querela locum habeat : qui & præcepta tulit , in quibus offendimus omnes : & elementa creauit , quorum pestilens afflatus multa hominum milia ad interitum perduxit. Quid igitur huic vanissimæ ratiocinationi obiiciendum est,nisi quod Iacobus in sua Canonica ait , Si quis indiget sapientia , postulet à Deo : postulet autem in fide nihil hæsitans. Et quis est, qui desperet, qui modo dicentem

audierit: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Et qui hoc dicit, dat omnibus affluenter, & non improperat. Cessent igitur oblatrare canes aduersus hunc cœlibatum: qui vtinam essent canes muti, nō valentes latrare, quando meliora, aut saluti viciniora proferre nequeunt.

Iam quis ferat atrocem huius iniuriam ita sæuientis aduersus continentiæ nitorem, qui ore impuro euomere ausus est castitatem officere solidæ animarum atque corporū sanctimoniæ, & paupertatem dispensationi euangelicæ? Sub hoc itaque iudice crudeli sæuoq; tyranno cadet à causa perpetua intemeratę virginis integritas, quę ex constanti decreto virum non cognoscit. Euanescet Ioannis Baptistæ & Euangelistæ sanctimonia, si castitas officit solidæ puritati. Supprimendum erit purum & castum de virginitate comparanda ac tuenda Pauli consilium, dum ait, Solutus es ab vxore, noli quęrere vxorem. Annæ prophetissæ, cuius laus est in euangelio, institutum damnabitur: quæ tamen vel hoc nomine cōmēdatur, quòd vidua permanserit vsque ad annos octogintaquatuor, non discedens de templo, ieiunijs & orationibus seruiens nocte ac die.
Si verum est quod asserit Epicuri de grege porcus, castitatem officere solidę corporum & animarum sanctimoniæ, quis non miretur impudentiam frontis perfrictæ, cum horum verborum halitus obuio cuique nauseam pariat? At ne id citra rationem dictum putes, profert suæ assertionis causam, semper proficiens in peius: vt peculiare solet esse hæreticorum. Malim (inquit) monachos esse maritos, quàm scortatores. Quid audio? Monachus solitarius est. Qui si familiæ curam habeat, quomodo aut esse aut dici poterit monachus, qui etiam reus sit fracti voti? Proinde ac si aliquis dicat, Malim te esse prędonem, quàm parricidam. Iam qui cum vxore est, diuisus est: quomodo igitur idem vnus erit & plures, solitarius & diuisus? Hic videtur per somniū alludere fabulæ de Geryone tricorpore, aut de tricipite Cerbero. Vix credas apud se fuisse hominem, qui tam secum pugnantia profert. At longe aliter censuit Paulus, qui in Romanis tertio capite ait: Nō vt blasphemamur, & sicut aiunt quidam nos dicere faciamus mala, vt veniant bona: quorum damnatio iusta est. Consultius autem egisset Buce

rus, si meliore mente recepta dixisset: Malim pauciores numero monachos sacerdotésue, & eos quidem continentes, sacris initiari, & cum iudicio deligi, quàm multos effrenes, qui nec ordinis placita, nec canones seruant, quique sine lege, sine regula passim per orbem vagantur. Hoc si dixisset, vnanimi omnium frueretur cõsensu. Ne simul iustus deleatur cum impio, néue dispereat ordo monasticus, cuius splẽdor & honestas totum orbem suo fulgore illustrauit. Quid enim commeruit sacer piorum cœlibatus, si quorundã petulantia nonnullis dederit offendiculum? Detrahantur noxia, nulla interim insontibus inferatur iniuria. Imo potius audiendus erat Christus, qui ait, Sinite vtraq; crescere vsq; ad messem, vt non simul eradicetur & triticum. Non enim eradicandæ sunt vites, si vnà cum illis succrescant spuria vitulamina. Eradicetur potius quorundam effrenata licentia vt apud viros pios ac religiosos tuta castitas permaneat, quã quòd propter incestos de medio tollatur, quæ viris iustis semper placuit, toto orbe Christiano laudata continentia. Quòd si fiat, plures erunt filij desertæ, quàm eius quæ habet virum. Non dissimili scommate hoc delirium retũdit Bernardus, qui libro de dispẽsatione & præcepto hũc stuporem eludit, dicens, ac si quis requirit, Quanam morte perire consulendum sit eum, qui seipsum forte perimere velit, incendiône, an præcipitio? eum potius in hoc suaderi debeat, vt suæ vitæ & saluti consulat, & infixum menti errorem delere prorsus, atque abstergere curet. Id quod profunda & humili ad deum fusa oratione facile fiet.

Prosequitur cœptum suæ temeritatis iter, ita dicens, [Quòd autem põtificiæ castitatis adsertores aiunt precib᷒ posse impetrari, vt detur vnicuique cœlibi viuere, Christo contradicunt, qui ita pronunciat, Non omnes sunt capaces dicti huius, &c.] Cum tamen hęc verba Christus minime pronunciarit, quin ita potius, Non omnes capiunt verbum istud. Atqui non idem sit dicere, Non omnes capiunt verbum istud: &, Non omnes sunt capaces. Non capit, qui sua sponte tentationũ carnis tædia ferre detrectans, periculũ permutat periculo, coniugii vinculo se adstringens. Qui vero dicit hominem prorsus non esse capacem, facultatem negat, quantumuis conetur assequẽdi quod optat. Rectius

interpretatur Chryſoſtomus, Non capiunt, quia nolunt. Non autem dixit, Non eſſe capaces, quaſi minime poſſint.

Sed & errorem errori adiungens, ſic ait: Deus non vult omnes cœlibes viuere. Non igitur cuiuſque cœlibatus ad gloriã dei faciet. puerili ſophiſmate incautis fumũ offundens, Nam & quiuis è triuio rideret ita colligentem: Non omnes poſſunt ingredi hanc aulã: igitur nõ eſt cuiuſuis ingredi eã. Quis neſcit collectim nõ cõuenire omnib⁹ cœlibatũ, & tamẽ ſeiũctim cuiuis cõpetere poſſe? Hæ nimirum ſũt collectiones nõ tã captioſæ q̃ ridiculæ cuiuis in Dialectica tyrũculo. Proinde nõ omnib⁹, inqt, orãdũ eſt ꝓ cœlibatu. Cũ tamẽ Paulus dicat: Volo omnes vos eſſe ſicut meipſũ: Diſtributiua locutio eſt, & nõ collectiua: vt Dialectici volũt. Quin & ampli⁹ pergit ſuũ oſtentare deliriũ. Qui, inquit, orant ꝓ cœlibatu, quinetiã orãt ne cibo neceſſe ſit, & alijs vitæ hui⁹ reb⁹ onerari. In prõptu reſponſio eſt. Domin⁹ nõ inuitat nos ad perpetuã inediã, cũ tamẽ hortetur ad cœlibatũ: In quo Chriſtus & deipara virgo, & alij prętere a innumeri, excellenter ꝑdurarũt: qui tamẽ inediã hanc perpetuã nõ exercuerunt. Verũ adhuc inſanire pergit. Imo, inquit, cur nõ oratione ſua impetrãt, vt ſemel depoſito corpore beati ſint? Sed quid hoc ad rhombum? Hic agitur de perfectione vitę, & tu diuertis ad conſummationem mortis. Cuius quidem deſideriũ nõ omnino vicio datur: niſi forte tibi nõ probetur Pauli ſententia dicentis ad Philippenſes primo, Mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Aliud eſt probare potiora dum viuis, & ad ardua tendere: quod laudabile eſt, & per ſe decorũ. Aliud finem quærere laborũ: quod his tantum cõgruit, qui legitime certauerũt. Nobis potius conuenit dicere: Dimitte me, vt glutiam ſaliuam meam. Perfectorum eſt illud, Curſum conſummaui, fidem ſeruaui: de reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ. Alias profert ſuæ cæcitatis indices tendiculas, teneriores vtique aranearum telis, vt quæ nec inſecti vnius animantis duriuſculum onus ferre poſſint. Quæ tamen ita ſibi ſubtiles eſſe videntur, ac neruoſæ, vt medium tenere poſſint quẽuis etiam Gigantem robuſtiſſimum.

Cuius texturæ eſt, quòd ineptè nugatur, impium eſſe operis à deo expectare & expetere mercedem: quam exigere

videntur, qui professæ continentiæ præmia expectant. sed impius est iste, qui impietatem somniat etiam in re maxime pia: nisi Psaltem quoq; impietatis arguat, qui ait, Etenim seruus tuus custodit ea, & in custodiendis illis retributio multa. Alio item loco: Inclina cor meum ad faciendas iustificationes tuas propter ęternam retributionem. vt Hieronymus in Hebraico legit. Nam Aacheb retributionē signat. Et vt mox diximus, Paulus repositam sibi coronā iustitiæ expectat citra omnē impietatis notam. Alioqui quid attineret dominum ipsum mercedis æternę prēmium proponere certantibus, nisi & ipsum expectare & desiderare liceret? Cui totus inhiat Paulus, nec temere dicens, Sic curro, non quasi in incertum: sic pugno non quasi in aere verberans. Id autem omnino licet, modo ne tanquam ex debito, sed ex gratia potius pollicentis speretur. Spes autem vti ex eius definitione constat, partim gratiæ, partim meritis innititur. Hoc certe est hæreticis perpetuum & peculiare malum, vt offundant oculis fumos, ex veris elicere falsa: vt eorum collatione inquinata reddantur, quæ tamen per se vera sunt. Si Dominus inuitat vt petamus præmiū: quid piaculi fuerit id, quod sua gratia pollicetur, expetere? Et tamen hæretici ita absone colligunt, nempe veluti à thesauris ad carbones. Expectas à deo mercedem? Vis igitur improbe deum tibi constituere debitorem.

Sed nec sibi temperat, quo minus insectetur disciplinæ regularis formulam, dicens eam officere puritati ac nitori legis euangelicæ. Nam positis constitutionibus, (vt ait) humanis, videri potest lex euangelica non sufficere animarum saluti. Sed ignorat stupidus iste, quòd sanis, & bene habentibus abunde sufficit cibus delicatus boni succi, & affatim nutriens, quum tamen debilibus, & ægrotis, ob eorum inappetentiam debilitatemque stomachi, minime conueniat per se alioqui optimus. Sic & perfectis vna lex euangelica sufficit, imbecillioribus autem formulæ viuendi ad acquirendam perfectionem viam faciūt. Vt cubiculum iam ingressis claue nihil opus est ostium reserante, quæ tamen necessaria est ingressuris: sic opus malleo & incude, nondum fabricata sera, qua perfecta & completa superuacaneū sit huiusmodi desiderare instrumenta.

Qui apicem montis attigit, nihil opus habet in ipso insudare ascensu: qui vero in imo stat, grādis adhuc illi restat via. Denique regularis disciplina perfectioni conducit acquirēdæ, quum fastigium legis euangelicæ sufficiat acquisitæ. Sic fit, vt constitutio humana viam paret ad diuinam. Istud ex Paulo cuiuis peruium esse potest, qui ait priore ad Corinthios tertio, Ego fratres non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tāquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. Nondum enim poteratis: sed nec nunc quidem potestis. Adhuc enim carnales estis. Ad leuandam hominum inediam per se quidem sufficeret adulta iam & matura seges in agro: nos tamen illi sepem adhibere solemus, ne feræ noxiæ diripiant, ac breui momento perdant hominum labores. Sic regularis disciplinæ institutum suos cultores in officio continet, & impedimenta adsequendæ perfectionis lōgius arcet. Hæc pressius considerata omne ambiguum facile tollent.

Hic demum suæ improbitati finem imponere debuit Bucerus, si quis apud eum esset aut finis aut modus: quē tamen non inueniens, crambem plus millies recoctam impudenter mensis apponit, asserens nemini licere cœlibatū sectari, nisi cui datum sit, cōtempto (vt suo Marte effingit) coniugio. Neque enim qui aurum præfert, contemnit argētum: nec qui cœlibatum coniugio præponit, spernit matrimonium. Multos denique esse asserit, qui falso arbitrentur se esse hoc munere donatos. Ad id quidem vna responsio sufficit, quemuis huius doni esse capacem, qui modo velit in sua petitione constanter perseuerare. Nam sine pœnitētia sunt dona dei: nec aliquem deserit, nisi à quo prius deseritur. Non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum, & operatur institiam, acceptus est illi. Actuum 10. Donum quidem à deo est cuiuis prestandum ex equo, qui modo se paratum præstabit. Sed neque expectandum est cœlitùs oraculum, priusquam voueas: quando nec deipara virgo id expectauit, priusquam voueret. Quin ex imo pectore ad deum fusa oratio, sufficiens est ad huiusmodi impetrandam gratiam. Alioqui oraculum desiderandum Paulus docuisset in Corinthijs 7. quod tamē tātum abest vt exigat, vt etiam dicere non dubitauerit, Qui

ſtatuit in corde ſuo firmus non habens neceſſitatem,poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde ſuo ſeruare virginem ſuam,bene facit. Hic nullus de expectanda reuelatione ſermo,aut habetur, aut innuitur. Neque in huiuſmodi propoſito conſeruando opus eſt miraculo,ſi exactam miraculi rationem attendas. Nam quotidie dona huiuſmodi cœlitus demittuntur, alioqui omnia dona dei miracula forent. Non tamen longe abeſt á ratione miraculi:quandoquidem in carne præter carnem viuere angelicum potius eſt,quàm humanum. Sed nõ ita rarũ, quin à quouis flagrantis orationis ſubſidio poſſit impetrari. Id autem dixerim,ne quis aut prodigij,aut oraculi mole abſterritus,ſub onere gemat,ac tandem deſperet. Quis enim deſperet de eo,qui ſemper bene velit,vt optimus,quíque nihil non poſſit,vt maximus? Tantũ adſit pius ac feruens ad impetrandum animus. Qui vbi aderit,qui petit accipiet,qui quærit inueniet,pulſanti quoque aperietur. Nõ igitur abſterrendus eſt miles propter varium belli euentũ, vt fugiat:ſed excitandus,vt vincat. Qua in re grauiſſime peccant hæretici,præpoſtero ordine omnia peruertentes. Animi feruor & audacia ex periculi occaſione captanda eſt,nõ puſillanimitas aſſumenda. Hæc eſt magna pars decipularum,quas cœlibatui obtendit Bucerus in Matth . cap . 19. quarum vaniſſimas nugas retegendas curaui,ne quis cæcũ ducem ſequutus,errandi occaſionem accipiat.

Sed quid non petulanter audeat,& impudenter attentet ſerpentis huius modo euadendo tortuoſi,modo in inuadẽdo pungendóue amarulenti,virulenta nequitia? Hoc enim apud ſe ſtatuit,vt abiecta luce veritatis ita ſua reſponſa adumbret & obſcuret,vt neſcias in quam partem inclinare velit,eo nimirum & aſtu & ingenio,vt ſi forte ſe videat irretitũ, ac luce veritatis deprehẽſũ,latebras aliquas ſibi paret, in quibus pro nacta occaſione deliteſcere poſſit,interimq́; è manibus proſequentis elabi. Deniq; illi ꝑpetuũ eſt ac perenne,omnẽ induere perſonã,in quã velit ſe tranſmutare effigiem:non vt omnibus cum Paulo omnia fiat, verũ potius vt omnes dementet ac fallat,ſecũq́; in erroris præcipitium trahat. Id quod acutiſſime in hoc Bucero Vintoniẽſis præſul Stephanus deprehẽdiſſe cernitur. Qui ob id cẽſuit vanã

nulliusq; frugis esse, cum hoc præsertim hæretico, cótentionē, cum omnia catholicis arma adempta sint, quib⁹ retineri possint refugę, perstringi reluctantes, aut cōfodi ꝑtinaces. Scripturæ vni⁹ patrocinio se tuétur, cū tamen nihil minus, ꝙ scripturā sequi velint: sed potius suā corruptissimā intelligentiā venentur in illa, eum sensum affigentes, non qui à spiritus sancti mēte, patrū ve sententia pendeat, sed qui eorū potissimū seruiat affectibus. Quid igitur facias, dū in diuersos sensus sub prima disceptationis initia scriptura discerpitur, quorū vnus legété ædificet, & alter destruat? In duello prius cōuenitur de paribus armis: hic nihil reliquū ab hæreticis relinquitur, quod possit esse vtriq; cōcertātiū cōmune nō interpretatio patrū, nō apostolica traditio, nō cōciliorū pontificū ve decreta, scriptura nuda in medio relinquitur, sed nullo ꝓbabili sēsu, nulla fixa interpretatione munita. Accedit ad huiusmodi difficultatē lubrica hęreticorū in requapiā asserēda fides, incōstans assertio ac varia semper & mutabilis, frōs impudēs & pfricta: & in quāuis partē versatilis, vt sphęricū in plano in quāuis partē volubile, atque omni euripo mēs versatilior. Quin & more chamęleōtis affingūt sibi & assimilāt quoscūq; colores, & ꝓ occurrēte causa fingūt omnia atq; refingūt. Nec his cōtenti, fucco loliginis (quādo aliud nō possūt) aduersarios loquēdo denigrāt: cū deest illis lana quā texere possint: vt interim dilabantur. Vnū itaq; superest, quo teneri queāt, cōpendium: vt ex proprijs eorū dictis plerunq; secum pugnantibus, nō satis memores illos mendaces cōuincere possis. Nec mirū, si melio res se impetāt maledictis, cū sint ipsi apud pios omnes deploratissimi, omniū impuritatū assertores ac patroni, nēpe veneris & luxus impudētissimi præcones, incesti & nefarii coitus ex ꝓfesso defēsores, religionis ac disciplinæ osores, & contēptores puicacissimi, in dilatādo luxu & augēda carnis licentia supra omnem fidē largi ac ꝓfusi; in commendādis autem atque extollendis spiritualibus donis, castitatis, inquam, atque temperantiæ, parcissimi: negātes, expectandum esse donum dei pro tuendo cœlibatu: imo neque pro eo vt obtineatur, orandum. Sic enim Bucerus ait, Dominū rogandum non esse pro dono continentiæ ab his qui quāuis professi sunt, tamen ad coniugium potius quàm ad cœ-

libatum deputati sunt. Sed vnde sciemus, quando, quáue ętatis parte quiuis hominum ad coniugium potius, q̃ ad cœlibatum deputatus sit? Imo qui suis precibus obtinuit gratiam, vt voueret: quomodo tā delirus erit, vt desperet de gratia id præstandi, quod dei auxilio vouit? An ignoramus scriptum esse: Qui cœpit, ipse perficiet bonum opus: & prīcipium esse plusquam dimidium totius. An stupidus erat, qui ait, Ter dominum rogaui, vt auferretur à me stimulus iste? Sed inuenit impostor Bucerus commentum aliquod, quo telum istud elidere possit: qui contra omnium catholicorum sententiā hæc verba Pauli, Sufficiat tibi gratia mea, neget intelligenda esse de auxilio ad tuendū cœlibatum: verum de fauore potius ad ineundū, priore statu mutato, coniugiū. Quasi parcior sit dominus ad cœlibatus auxiliū præstandū, si côuenienter petatur, q̃ ad côiugij ꝓmouēdas molestias: cum tamen det omnibus affluēter, & nō improperet. Quasi qui dedit votum voventi, deneget auxilium promissum pręstare volenti. Verū quid sibi vult istud, quod mox sequitur, Virtus in infirmitate perficitur? Quis enim negare audeat hęc verba ad côtinētiā pertinere? ꝓ qua tenēda & augenda Paulus orabat: potius quàm ad coniugii statum, cuius iugum abijciendum consulebat, inquiens, Solutus es ab vxore, noli quærere vxorem. Rursum, Qui nō nubit, melius facit. &, Qui habent vxores, sint tanquā non habentes. Alias non dixisset, Castigo corpus meū, & in seruitutem redigo: ne cū alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. dicturus alioqui, Accingor ad thori maritalis iugum subeundū, ne stimulis carnis agitatus vrar. Hic (si audimus Bucerum) cui vna vxor satis non esset, alia etiam more Barbarico quęrenda foret ad extinguendū portentosę libidinis furorem. At longe fallitur cæca Buceri impietas, vt qui scire debuerit lignorum potius substractione & frigidę infusione, hoc est, abstinentia & lachrymis, quàm ignem libidinis igne extingui. An ignorat quod scriptum est, Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis petetis, & fiet vobis? Ideoq; vnusquisq; in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Non igitur inuenio, quanā ratione côtinētiam professi, iure deputari possint ad ineūdū côiugiū: nisi dicas tibi fuisse reuelatū, quod quoties

cœlibi acciderit carnis tentatio, dominus mutata sentẽtia à cœlibatu deputet eum qui ita afficitur, ad subeundũ matrimonij iugum. Sed dæmonis hęc commenta sunt, nõ dei oracula. Quis enim tam impius, vt audeat dei benignitatem hominum moribus stultè metiri, ac pl⁹ posse dicat impuritatem libidinis, quàm vim ineluctabilem lachrymosæ orationis: cuius tanta est energia, vt vincat inuincibilẽ, & liget omnipotentem? Interim dormitabit ne tua illa fides, quę cũ sola (vt falsò prædicas) possit quoduis delere peccatũ, an nõ etiã poterit libidinosæ huius tẽtationis extinguere fomẽtũ? Quòd si id possit, qua impudẽtia dicere audebis nuptias esse vnicũ remediũ vstioni extinguẽdæ? Ad hæc cum aliis tardi⁹, citi⁹ alijs molestia libidinis accedat, facto ad tẽp⁹ de cõtinẽtia periculo: nõne aliquando saltẽ per vos vouere licebit? Licebit vtiq; nisi votũ omnino extinctũ velitis: viuet autẽ semper & vigebit, etiãsi nolueritis. Si igitur detur loc⁹ voto, quid si accedat tẽtatio? etiãne discedendũ erit à signis promissi iã cœlibatus? Absit à nobis tã pestilẽs error. Quid autem si non possit vxorem inuenire is qui libidinis æstum patitur? Túne etiã negabis affuturũ illi cœlitus pro tuenda continẽtia auxiliũ? An qui fœminã periijt, auxilium inueniet: & qui votũ semel emisit, non reperiet ad suam vocationẽ tuendam subsidium? Hoc vno cõmento quid absurdius? Alioqui longe grauior & periculosior erit causa cœlibatus, quã matrimonii: contrà tamẽ iudicarũt Apostoli dicẽtes, Si ita se habet caussa matrimonij, nõ expedit nubere. At Bucerana impietas diuersũ ex diametro asserit, adeo grauẽ esse causã ꝓmissi cœlibat⁹, vt minimè expediat ꝓmittere. Delirabat igitur Paul⁹, qui volebat omnes esse vt seipsũ, cõtrariũ hortãte atq; adeo iubẽte illud ridiculũ omni subsãnatione dignũ, ac puerili etiã voce exibilãdũ, ꝙ ait donũ cõtinẽtiæ potissimũ cõsistere in quadã humorũ tẽperatura, & corporis ad venerẽ ineptia. qua fieri possit, vt sine omni naturæ lucta continẽtia seruetur. Sic solent philosophari Epicurei isti carnali cœno inuoluti, vt in volutabro sus, qui ita statuerunt oculos suos declinare in terrã, vt quę à cœlo petẽda erãt, nil nisi terrena sapientes, à natura expetant. Non est ô Bucere hoc talentum terræ defodiendum (nam qui de terra est, de terra loquitur) sed à deo po-

tius expetēdum ,cum omne datum optimum, & omne donū perfe˄ctum de sursum sit. Atqui bellus iste cōciliator locorum sacræ scripturę,ita Moysem cū Paulo componendū censuit,imo(vt verius dicā)spiritum sanctū in vtroq; loquētem,vt dicat hanc sententiā: Non est bonū homini esse solum,pertinere ad singulos: Illud autem , Bonū est homini mulierē non tangere,ad naturā cōmunē,seu ad vniuersitatē generis humani. O rem ridiculā, quod singulis bonū est, id est vniuersitati non bonum. Perinde est, vt si quis subridens omnino ac subsānans dicat ieiunare collegiū, vbi nemo de sodalitio sibi tēperet à cœna,dū tamen mensę publicę nihil apparatū inferatur:aiunt enim tunc aulā ieiunare. Hæ sunt ideæ hæreticorū ac naturę(vt sic dicā)cōmunes. Sed quis ex patribus hanc nobis aduexit nouā doctrinam? Proferat Bucerus vnū ex omnibus ecclesiæ patribus, qui sententiā Moysi ad singulos,Pauli vero placitū retulerit ad vniuersos. Proferet,inquam,sed non prius q̃ cœlū mari coniunxerit,& mare cœlo. Quis enim nescit dictum illud: Nō est bonum homini esse solum , referri ad primæuā naturæ humanæ originē:vt ex coniunctione maris & fœminæ cresceret posteritas,vt multiplicaretur & repleret terrā? Qua semel repleta,cessat vrgere præceptū de ineundo cōiugio, cui successit libertas colendi cœlibatus. Quid autem putidius eo quod ait,omnes ad matrimonium vocari his verbis: Vnusquisque propter fornicationē vxorem suam habeat? cum manifeste verba ostendant nō nisi de coniugatis istud intelligi. Qui si micā salis habuisset,id deprehendere poterat ex vocabulo,suam. Neq; enim suam quis appellare potest vxorē,nisi sit coniugatus. Deprehenditur etiam istud ex verbo habere. Habeat,inquit,suam,hoc est, eam tractet affectu vsuq; vere maritali. Nam de his qui non sunt congati,diuersum sentit ita dicens: Dico autem non nuptis & viduis:bonum est illis,si permanserint sicut & ego. Vt scilicet qui prius coniugatos instituerat, quid cœlibatui conueniret,ostenderet.

Sed q̃ insulse ac peruerse tractet verba Pauli ad Timotheum loquentis de his,qui primam fidem irritā fecerūt. Primùm negat fidem de voto intelligi, sed de vniuersa in Christum religione. Deinde ab ea responsione deflectens,

ait: etiam si de voto intelligatur, tamen dãnatio illa (de quã Paulus) non ad iudicium dei refertur, sed hominum. Demũ tertio etiam vacillans, & à prioribus pronunciatis resiliẽs: Esto (inquit) quòd fides de voto, damnatio de gehenna intelligatur: illud tamen minime pertinet ad fœminas verum ad commonefaciendos episcopos, ne facilè permittant mares & fœminas vouere continentiam. Hic quàm varius ac lubricus est Bucerus, vt nec cum patribus, nec secum, nec cum veritate constare possit: reluctante nimirum ac renitẽte luce veritatis, patrum authoritate, qui hanc fidem de voto interpretati sunt, & tectæ simulationis ac fraudis conscientia.

Denique nihil vsquam recipit Bucerus, nisi quod ex proprij somnio capitis prodierit. At ego vicissim nihil ex eo recipio, nisi quod ex patrum, procerumq; ecclesiæ sententia proferatur. Ne igitur prorsus inermis in aciẽ hanc descendisse videatur, adfert Cypriani authoritatem: qua videri potest iussisse Cyprianũ, vt deo dicatæ virgines nubant, nẽpe ex epistola vndecima de virginibus deo dicatis. Qui si reliqua Cypriani verba cũ hoc vno contulisset, vtpote ad Quirinũ li.3.ca.30. facile intelligeret hanc permissionẽ ad initiatas tantũ virgines referri, nondũ tamẽ ꝓfessas. Sic enim conciliari possunt, quæ in speciẽ cõtrariæ videntur diui Cypriani sententiæ. Hic autẽ perinde agere videtur, atq; si aliquis ex virgulto vno euellere prorsus ac eradicare conetur annosã totã, quæ virgultũ ipsum ꝓtulit, frondosam, frugiferamq; arborẽ. Hoc enim agit, qui ex vno Cypriani verbulo, reliquos ex Cypriano locos, quib⁹ voti soliditas constituitur, conatur euertere. Atqui si res ferat, sati⁹ fuerat ab vno authore cum cæteris omnibus discedere, quã pro suo vnius errore tuendo turbã doctorũ à se impudẽter abijcere, & sub factitia & adulterina quadam scripturæ vmbra veræ lucis radios depellere. Id quod Bucero peculiare esse solet. Desinat igitur impius ille has blasphemias euomere.

Primò ꝙ lex cœlibatus sit impossibilis, reclamãte cœlibe Paulo, q ait, Omnia possũ in eo qui me confortàt Christus. Quem absit vocasse ad rem impossibilem posteros, cum diceret, Volo omnes esse, sicut ego sum.

Secũdò impudẽter mẽtiũ legẽ cœlibat⁹ esse naturę cõtrà

riam,cum gratia non euertat naturam,imo potius ornet & illustret. Neque enim fides,ad quam mordicus tenendam obligamur,contra sed supra naturam est. Superat enim humanæ mentis aciem: Matrimonium autem,quod secundum naturam est,subiicitur cœlibatui,tãquam minus maiori: nõ tamen aduersatur,sicut lumen naturale fidei. Quemadmodum de instinctu naturæ est,vim vi repellere:non tamẽ violatur natura, imò verius perficitur ex consilio euangelico: quo docemur,cædenti alterã præbere maxillã. Aliàs cõtra naturam faceret quicunq; adolescens, nisi mox cõtraheret matrimonium, si huiusmodi abstinentia esset cõtra naturã.

Tertiò grauiter offendit,statuens legem cœlibatus voluntati diuinæ esse contrariam. Hoc enim dicens, blasphemat in Paulum,qui sexcentis pene locis nos inuitat ad cœlibatum: quem nemo citra blasphemiam dixerit contrariũ voluntati diuinæ consuluisse.

Sed illud non minus impudenter assertum, donũ continentię ne his quidem concedi,qui ipsum à deo petierint, refragante omnino dicto Christi,Si vos cum sitis mali,nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis pater vester cælestis de cælo dabit spiritum bonum petentibus se?

Quæ omnia nihil aliud quàm desperationem spirant, & diffidentiam de obtinendo in spiritualibus rebus auxilio diuino,cum tamen nihil non de deo præsumat in admittenda ac recipienda indulgentia diuina, in his quæ ad carnalia desideria pertinent. At nõ ea fuit mens,sanctorum patrum,qui in spiritualibus omnia audent, in carnalibus vero cum Paulo ab omnibus se abstinent. Sapiens enim videt, & præcauet: stultus autem transilit,& confidit.

Ego sanè posteaquã recentius editos codices ex Phygio Campensi euoluere apud me omnino decreuissem, atque erroris huius latebras in lucem proferre contenderem,fodiendo(quod dicitur)vsque ad algam: suspicari tandem cœpi ex vno potissimum eorum paradoxo hanc erroris putidam lacunam prodiisse. Profitetur apud Phygium Campensem castitatis osor Bucerus, id se habere pro axiomate, nulla deo placere posse nostra opera, nisi quæ ex præcepto fiant, eóque pertineãt vt per ea commodetur proximo. Ex quo errandi ansam Conradus Lagus iure-

consultus in methodica iuris traditione, suæ professionis limites egressus, minus quàm vellem fœliciter arripuit: asseuerans legem de cœlibatu ex voti professione suscepto, instituto dei & naturæ repugnare: nec ita posse violentis vinculis contineri, vt non erumpat. Illud adiungens: quòd sicut aqua nec vi, nec arte cogi potest, vt perpetuò contra suum naturalem motum ascendat: ita nec impetus naturalis in homine coercebitur, vt citra periculum salutis in eo penitus conquiescat. Sed longè fallitur, qui naturalia voluntariis prorsus, necessaria spontaneis, terrena cælestibus, quasi ex æquo se habeant, imprudenter conferat. Non sic sacra prophanis conferuntur. Nemo enim nisi delirus, canibus catulos, matribus hœdos, sacra prophanis componere attentabit vnquam. Dona dei precibus obtinentur, è cælo pendent: sic tamen vt omnia sint posibilia credenti. Reliqua verò naturæ opera ita deus, qui eam cõdidit, administrat, vt proprios motus agere sinat. Pergit tamen humano potius quàm diuino iureconsultus huius sacri cœlibatus machinã arietare, in omnia se vertẽs, vt persuadeat votum de cœlibatu esse contra verbum dei, sed nihil aliud quàm principium repetit, identidẽ resumens quod probare debuerat. Ait enim, Tam peccat, qui citra verbum voluntatem dei sibi fingit: quàm is, qui ductus consilio humano aliquid contra verbum dei instituit. Cui respondendum, nullum hic esse fictionis locum, nisi quẽ ipse finxerit. In verbis enim Christi nulla est fictio, qui suos cohortatus ait, Qui potest capere, capiat. Non enim qui hortatur, absterret, aut arcet, quin potius inuitat, & allicit. Errat ergo fictionis verbum assumens. Neque enim aliquid fingit citra verbum dei, qui fauori diuino innixus hortantem sequitur, & vocantem audit, hoc secum repetens: Propter verba labiorum tuorum ego custodiam vias duras. Ego inquã & mei similes in odorem vnguentorum tuorum curremus, id quod adolescentulæ fecisse leguntur, quæ dilexerunt te nimis. Non sunt ista, mi Conrade, humana, sed diuina consilia, nec contra verbum dei, sed ipsissima Christi non tam iubentis præcepta, quàm adhortantis consilia. Qui igitur consulentem audit, nihil contra dei verbum operatur.

Tu vero à calcaria in carbonariã trãsis, qui à sacerdotũ

cœlibatu ad incisionẽ sanguinariam prophetarũ Baal, toto distantem cœlo, miro impetu transcurris. Illud deo viuo ac vero offertur, istud in idoli Baal cultum referebatur. Impiè igitur euomis tãdem, quam animo conceperas, blasphemiã, ita dicens, Talia sunt & vota monastica, quibus se obligant ad perpetuam continentiam, arbitrantes se summo ita placere deo: sed in quanto errore sint, inde liquere potest: Primò, ꝙ non extet mandatum dei, quo exigeret continentiã tanquã cultum. Quid his verbis (tanquam cultũ) intelligas, nihil mea refert. Vnum scire debueras multa deo placere, quę illi pręstantur, honesta: etiamsi nõ exigat ex præcepto. In quibus istud est, Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes. Cui & illud ex Paulo accedit, De virginibus præceptum non habeo, consilium autem do. Addis à nemine exigendam continentiam, quia periculosa sit. In quo bis erras. Neque enim est periculosa, sed honesta semper & laudabilis, insignis inquam & ardua, & quæ cum laude & pręmio tenetur ab his, qui diuino auxilio innixi, illi adhærere student. Non est igitur periculosa continentia, sed potius incontinentia, vtpote pestilens & noxia. Erras item, qui putes eam exigi, cum nemo ad eius professionem compellatur. Iam quò amplius progrederis, eò grauius exorbitas, & deflectis à recta. Ais enim Bucerano cõmento innixus, errare monachos continentiam citra præceptum obseruãtes tanquam cultũ. Monachi certe continentiam mordicus retinent in hunc maximè finem, vt purius ac liberius contemplationi insistere possint. Quid in tuo cultu intelligas, tu ipse videris. Neque enim curamus Buceranas glandes, frugibus inuentis. Tu verò culpa vacare nõ potes, qui rei, quę ad te nõ attinet, te immisces, si vera sunt in quibus versaris placita, dum temporaneam castitatem permittens, perpetuam ita explodis & damnas, vt eam velis esse contra naturę institutum. quod planè impiũ est. Dona enim dei tametsi quadantenus sint supra naturam, non tamen contra naturam. Fides enim est supra captum humanum, non tamen aduersatur rationi, cum omne verum cuiuis vero consonet & congruat. Sic & cætera dona dei, quæ qui petit, accipit, & qui quærit inuenit: nam & pulsanti aperietur. Nec enim temerè nobis ea dona precatur Paulus, qui

ait, Pax dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat cordā & corpora vestra.

Iam tuæ modestiæ oblitus, abiecto temperamento, ais errare monachos, qui cum sentiant se non posse continere, instituto dei & naturæ reluctantur. Aliam quoque impietatem euomens, stultitiæ eos arguis in voti professione. Tu verò tuā ipsius cęcitatem non agnoscis, ei maledicto obnoxius, quod apud ꝓphetā legitur, Vę qui dicitis bonū malū, & malū bonum, ponētes lucē tenebras, & tenebras lucem. Impudenter itaq; & vanissime erras, qui iudicas vouentē non posse continere. Nam fidelis est dominus, qui nō finet nos tentari vltra id quod possumus. Si iuris diuini adyta penetrasse tibi per ocium licuisset, facile intellexisse poteras verba Iudith à morte mariti vsque ad finem vitæ continentiam vidualem obseruantis, quæ ad hunc modum reponenda censui, Iudith. 8. Qui estis vos, qui tentatis dominū? Non est iste sermo, qui misericordiam prouocet, sed potius qui iram excitet, & furorem accendat. Posuistis vos tempus miserationis domini, & in arbitrium vestrum diem constituistis ei. Tu verò Lage ita exhauris diuinæ bonitatis largitatem, vt illi metas & tempora ponas, qui nullam in suis largitionibus aut metam recipit, aut mensuram. Quod igitur temere iam prædixeras, incautè repetis, tertioque insulsissime recenses, non esse tanti vota religionis, vt propter ea stulte recipiatur, quod naturæ & dei instituto repugnet. Sed nec peccatum peccato redimitur, vt male ac perniciose imbutus existimas, nec vllum flagitiosum errorem agnoscimus seu in vouendo, seu in conseruando cœlibatu.

Nec leuiter errant, qui pro eodem haberi volunt, tentari & peccare. quasi verò idem sint, certare & vinci. Quod tantum abest à recto, vt ipsa etiam tentatio plerunque victoriam pariat. Hoc intellexit, qui ait, Tentatio patientiā operatur, patientia probationem, probatio vero spem, & hoc maximè in spirituali certamine, in quo tam debilis est hostis, vt vincere nequeat nisi volentem. Tentari itaque aut certare, nec vinci est nec vincere: sed via qua ad vtrum velis, peruenire possis. Non est igitur peccatum tentatio, quin potius methodus ad victoriam & præmium. modò nequis sibi deesse velit. Illud impudentissimum,

quòd aiunt maris & fœminæ coniunctionem vſque adeò eſſe intimam iuri naturæ, vt ab ea abſtinere ſit offendiculum aduerſus legem. Quid enim contumelioſius eſt, quàm dicere Chriſtiferam virginem peccaſſe in legem naturæ, inquiétem, Virum non cognoſco? Eademque opera Eliã, Ioannem Baptiſtam, quin & Chriſtum ipſum dominũ canes impudentiſsimi aut mordere audebunt, aut arrodere. Sed iſtud obiter dictum ſit.

Quòd ſi hæc (vt ipſe ingenuè fateris) acriorem requirant diſputationem, tibi ipſi imputare debes, qui hoc tantum egeris, quod canis in Aegypto, bibens ſcilicet & abiẽs, aut Cato in theatro in hoc tantum ingreſſus vt abiret. Hoc enim eſt more Parthorum fugacium pugnam inire, qui fugientes tela contorquent. Hæc igitur poterunt vnica litura deleri, vt reliquo operi venuſto ſanè atque elegãti ſuus ſeruetur honos. Hæc nullatenus diſsimulanda exiſtimaui, vt ſcilicet ſuſceptæ functioni nõ deeſſem, qui cœlibat⁹ patrociniũ ſemel in me receperã. Verum quia facile eſt coniectare, vnde huius delirii anſam hauſeris, nempe ex fece Buceranæ impietatis (quod apertè liquet ex impio eius paradoxo, quod ipſe recenſes, Non eſſe deo grata opera, quę citra eius præceptũ fiant) ideóq; in communẽ arenam placitum iſtud refutaturus, deſcendere operæpreciũ viſum eſt. Hæc certe ſententia à fonte Eraſmico per impurum Buceri canalem, vt Campẽſis Phygius locupletiſsimus autor eſt, ad nos vſque peruenit, adeò nemo eſt qui ignoret, quòd vbi Eraſmus innuit, Bucerus irruit: & quæ ille oua fouit, genimen iſtud viperæ excluſit, vt neſcias vtrum verius ſit, ſeu quòd Bucerus eraſmizat, an quòd Eraſmus bucerizat.

Vt autẽ ad rem ipſam propius accedamus: nec vnã, nec immodicã impietatẽ redolet Buceranũ illud cõmentũ, quod ex Eraſmico penu ſe hauſiſſe ꝓfitetur, quo vaniſsimè aſſeritur, Nulla deo placere poſſe noſtra opera, quæ nõ iuxta ei⁹ pręceptũ fiãt, atq; eo ꝑtineãt, vt ꝑ ea cõmodetur ꝓximo. Primũ enim (vt me à logomachia extricẽ) de his quæ cẽſentur cõmoda ꝓximo, nemo (qui aliqd ſanæ mẽtis habet) dubitauerit omnia ea cõmodũ adferre ꝓximo, quæ ſuo exẽplo ad reſipiſcẽtiã inducũt homines morib⁹ effrenatos: cuiuſmodi ſunt abſtinentiæ, ieiunia, auſteritates, ritus eccleſiæ, quibus

ornatur regina illa Christi sponsa,in vestitu deaurato, circundata varietate:quibus abiectis,periret ecclesiastica politia,& è conuictu humano tranquillitas, & ordinata inter homines obedientia. Ideoq; si quisq; facultatẽ iudicandi sibi tribueret,quatenus procedere deberent decreta maiorum, & vsquequo se extenderet commodum proximi : nullus esset in orbe neruus disciplinæ,nisi à patrũ legibus pendere nos oporteat,potius quàm à priuatis quenq; iudiciis . Illud ergo est è re proximi,& id quidẽ necessario, vt pastorũ præcepta sequamur,& eis obtemperemus. Iam quot impietates isthæc vnius erroris lacuna pariat,qua dicitur, nullũ esse opus laudabile,nisi quod à præcepto domini pendeat, parumper excutiamus. In primis de Maria Magdalena legitur,Bonum opus operata est in me:quod tamen nullatenus erat in præcepto. Quid autem cõmodi adferebat proximo huiusmodi vnctio apud eum,de quo scriptum est, Non dabis sanctum tuũ videre corruptionẽ?imo magis in ea laudatur affectus,quàm euẽtus: & tamen opus illud adeo gratum fuit,vt audirent etiam Apostoli, Vbicunq; predicatum fuerit euangeliũ istud,dicetur,quia factũ est in memoriam eius. Quòd si dicas sufficere aut affectũ,aut exemplũ : certum erit hac ratione omnia opera supererogationis cõmodare proximo. Ideoq; euanescẽt ea,quæ ex isto pronũciato hæreticus dãnata volebat. Hac enim ratione & vota & ieiunia proximo commoditatẽ adferunt. Verũ ad alia progrediamur. Cùm piæ mulieres Christum resurgentẽ vngere miro tentarent affectu,illud neq; habuerunt in mandatis, neq; aliquid cõmodi Christo adferre poterant, cùm etiam tangere eũ prohiberẽtur: & tamẽ nemo(nisi delirus)negabit opus illud gratum domino fuisse & acceptum. Quid de Ioanne Baptista dicam ? qui cùm esset in penitissimis deserti recessibus extra hominũ pecudumq; vias,volucrumq; volatus:quæ tum ab eo fiebant,quæso , quid cõmodi adferebant proximo? Atqui sua illa heroica anachoresis nulli obligationi præceptóve obnoxia erat . Quam tamen quantis in cœlum laudibus extulerit is à quo vera & solida omniũ nostrum gloria pendet,quid attinet dicere ? cùm scriptum sciamus, Quid existis in desertũ videre arundinẽ vẽto agitatam?&c. Quis ergo dicere audeat ingrata & illaudata ei*,

fuiſſe opera, quæ non erant ſecundum preceptum, nec magna ex parte commodabant proximo, vtpote omnibus incognita: cùm vitæ eius pars maxima nihil niſi anachoreſin ſaperet ac meram ſolitudinẽ? Quid ad hæc dicturus eſt omnium impietatum fex & lacuna Bucerus, fidei potius deſertor quàm aſſertor, diſciplinę ſpurcator non repurgator, morum non tam corrector quàm corruptor? Veruntamen vt aliquãdo diſcat erubeſcere, ſi ruboris capax eſſe poteſt frõs petfricta: reſiliat ſaltẽ ab effatis ſuis infatuatiſsimis & corruptiſsimis canonibus ſeu regulis irregularibus, cùm audierit Paulum diuerſum omnino pronunciantẽ. Ait ille, Qui nubit, bene facit: qui non nubit, melius facit. Vides cœlibatum non eſſe in præcepto, cùm per Paulum liceat nubere: eſſe tamen acceptum imo gratius coniugio, nullo etiam reſpectu habito ad id quod cõmodet vel incõmodet proximo, ſi ad commodum referas, de quo ad præſens agitur. Quo etiam ſpectat illud à Chriſto adoleſcenti propoſitum, Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, da pauperibus, & ſequere me. Nulla hic precepti mentio, & plurima laudis & gratiæ ſe offert occaſio, cùm de perfectione captanda agatur. Dicat igitur fex impietatis, & oſor totius honeſtatis, cur præ cæteris dilectus fuerit euangeliſta Ioannes: niſi ob eam potiſsimum cauſam, quòd nullo vrgente præcepto conſcenderit virginitatis palmam, vt apprehenderet fructus eius? Rurſum an non poterant Apoſtoli citra offenſam ſua ſibi retinere, qui tantopere ab eo cõmendantur, eo quòd reliquerint omnia ob Chriſti ſequelã, vt qui audierint, Sedebitis ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael? & quæ ſequuntur. Quin & omni ceſſante mandato ſubiunxit dominus, Omnis qui reliquerit domum, aut agros, aut fratres, aut ſorores, centuplũ accipiet, & vitam æternam poſsidebit. I nunc, & dicas nullum eſſe opus gratum deo citra præceptũ: cùm cumulatiſſime præmiũ recipiant, qui ceſſante mandato ad opera ſupererogationis ſe accingunt. Dies me deficeret enumerantem opera deo acceptiſsima, quæ citra præceptũ à veræ pietatis cultoribus obſeruata fuiſſe leguntur. Cuiuſmodi ſunt Abelis oblatio & ſacrificia, de quibus nullũ extat preceptũ. Noe multiplex & varium holocauſtũ, etiam ſupra id quod

mandati limitibus continetur, Abraham, Isaac & Iacob religiosissimi cultus, præter eos qui erant in præcepto, Rechabitarum speciale institutum in cibi temperantia, vini abstinētia, & reliqui austeritate victus. Quid de Helia, Helisæo, aliisq; dicere attinet? qui ob id tamē laudantur, quòd circuierint in melotis, in pellibus caprinis, errantes in solitudinibus & montibus, in spelūcis & cauernis terræ. Cùm autem Maria cōmendatur, quòd optimam partē elegerit, quæ non auferetur ab ea: ex mandatóne, an potius ex vltroneo animi instituto se ad pedes Christi cōferebat auditura verbū illius? Achab vir alioqui impius, nullo pręcepto coactus, dum ciliciū & cinerē subter se sterneret, nunquid audire meruit, Quia humiliatus es mei causa, non addam, vt faciam malum istud in diebus suis? Accedat Niniuitarū insigne & à Christo ipso commendatū ieiunium citra vllius mandati legē receptum: à domino tamen vsqueadeo collaudatum vt idē ipse dixerit, Viri Niniuitæ surgent in iudicio contra generationem istam. Nulli nota magis est domus sua, quàm omnino frequentior, toties ac toties repetita ciborum ac deliciarum omnium abstinētia. Ezechiæ oratio lachrymosa, Esdræ perpetui apud posteros exempli austeritas: Iudith, Hester, Danielis, Machabæorum sponte, nullo vrgente præcepto, obseruata ieiunia. Valeant igitur impostores isti, morumq; corruptores, arrosores votorum, speculatores cæci, lupiq; voracissimi: nec vltra audeant suis impurissimis & ab omni honestate alienissimis canonibus imperitæ plebi fumos offundere, cùm audiant Niniuitas dicētes in hac etiam parte commendatos, Quis scit, si conuertatur, & ignoscat deus, & reuertatur à furore iræ suæ, & non peribimus? Quid illud in Osea, Quis scit, si conuertatur, & ignoscat, & relinquat post se benedictionem? Moxq; sequitur, Egrediatur vir de cubili suo, & sponsa de thalamo suo. Sed hæc eorum opera q̃ grata domino fuerint, ex hoc vno manifeste liquet, quod dicitur, Vidit deus opera eorum, & misertus est super malitia, quam locutus fuerat vt faceret. Ea tamen quæ diximus omnia, neq; à præcepti lege pendebant, neq; ad id vt proximis aliquid inde frugis reportaret. Sed quę quamq; incredibilis est in hoc vno Bucero cæca temeritas, qui vno suo mucrone confodere tētat omnes

omnium anachoretarum qui sint,qui fuerint, quique futuri sperantur,sacras cõtemplationes,admirabiles potius q̃ imitabiles austeritates & pœnitentias, cœnobitarum insuper omniũ,qui vita,moribus & miraculis vsq; ad extremos orbis cardines claruerunt,huius sathanicæ tormento machinæ contendat euertere. Relinquendus itaq; est homo huiusmodi tanquam penitus euersus,ac suo ipsius iudicio condemnatus. Illud quis ferat,quòd suo paradoxo persuadere nititur vnicum ad compescendos carnis æstus titillantis remedium esse maritale coniugium? Quo cõmento vix aliud perniciosius inuenitur. Huic tamen sententiæ sic adhæret mordicus ventris mancipium & inguinis, vt persanctè iurare audeat reliquos cœlibatus cultores meram hypocrisin colere,eosque existimet nomine tenus cœlibes. Hoc interim non aduertens se eò desperationis peruenisse, vt oẽs sibi similes iudicet,suamq; turpitudinẽ omnibus ita esse exploratã,imo (vt verius dicã) deploratã ac perspicuam,vt nec hypocritæ personam (etiã si id cupiat)sustinere posſit. Cùm enim probitatem simulanti via pateat ad resipiscentiam: hic tantũ abest vt resipiscat,vt impudentia plus quàm meretricia suum & apud se tueatur, & apud exteros commendet errorem: de quo Propheta ait,Frons meretricis (& quidem incestuosæ)facta est tibi: noluisti erubescere. Apud cœlibatus simulatores temporanea, breuique interitura, ac certis contenta limitibus,regnat malitia: & quę suũ tantum laudat authorẽ,nihil secum adferens offendiculi apud exteros,dum sua tegitur simulatione. Vos autem & vobis & aliis perniciosiſsimi,in omnes vestræ turpitudinis venena diffunditis. Apud eos temporaneus torrẽs libidinis peruagatur apud vos fœdiſsimi exẽpli fons perpetuus perdurat. Atqui,vt ille ait,

Flumine perpetuo torrens solet altius ire:
 Ista quidem breuis est,illa perennis aqua.

Vestra impudentia nec finem habet neq; modũ. In immẽsum enim peruagatur. nec vllis continetur littoribus. Pudor autem simulatæ castitatis sua aliquando mole ruẽs,pœnitentiæ repagulis tandẽ reprimitur. Ad rem igitur venio.

Si nuptiæ(vt ais Bucere)censeri debeãt vnicũ aduersus incontinentiam ad sedandos carnis aculeos refugiũ: quid

ſi ſalax aliquis aut petulans ſortitus ſit vxorē aliquam,cuius amplexibus frui nequeat vi cronicæ ægritudinis obſiſtente:dicturus ne es,quòd ad aliam tranſire poſsit vxorem? Id aũt null⁹ Chriſtianę mẽtis admittat,refragãte ſcilicet lege euangelica,quæ duos non tres admittit in carnem vnam. Quid igitur ſupereſt,niſi vt nobiſcum cenſeas hanc carnis imbecillitatem vnico orationis ſubſidio ſubleuandam? Id quod in ipſo etiam cœlibatu obſeruandũ contẽdimus. Tu ab incontinẽtia ad coniugiũ nos relegas:ego cõtrà ab inceſtuoſo cõgreſſu,& cœlo terræq; inuiſo deo dicatæ virginis amplexu, ad ſacrã orationis anchorã te tuoſque inuito. Satius enim eſt recurrere, quàm ſemper currere male. Vos deum incuſatis, qui donum ſuum quibuſdam vltro denegauerit:ego cum Paulo intemperantiam arguo nullo orationis ſuffragio adiutam.quæ ſi adeſſet,ſtatim procella verteretur in auram. Paulus ait, Propter intemperantiam veſtrã dico,ne tentet vos Sathanas. vbi intemperantiam magis q̃ dæmonem ipſum incuſat.Non igitur ab intemperantia ad dæmonem, verum à dæmone ſuggerente,non cogente ad tuam ipſius intemperantiam te reuoco. Deeſt igitur quo tuum tegere poſsis errorem.

Puderet & hoc vaniſsimum repellere commẽtum, niſi ſcirem inſignioris notæ viros in hac ipſa arena fuiſſe verſatos(Vintonienſem intelligo & Campẽſem)quo fingis verba Pauli dicentis,Oportet epiſcopum eſſe vnius vxoris virum,non bigamum,hoc eſt,non habere plures ſimul vxores.Quaſi vero hoc genus bigamiæ non ſit etiam iure diuino omnibus vetitum,aut adulterium ſolis prohibeatur epiſcopis.Eſt igitur bigamus ſemel atque iterum nuptiator:ſicut dicere ſolemus,Δὶς κράμβη θάνατος.i.crambe non gemina ſed repetita,mors:& δίτοκον mulierem appellãt,quæ bis peperit,non quæ geminos fœtus ediderit.Qua ratione bis iterúmve conſulem dicimus, qui ſucceſsiue duos geſsit conſulatus. Sic polygamus hoc loco dicendus eſt, qui nuptias non ſemel contraxit. Cui intelligentiæ ſubſeruiunt Epiphanius, Chryſoſtomus.Denique quis non? Falſo igitur detorques bigamiam in verbis Pauli ad plures vno tẽpore ductas vxores,quæ verius ad repetitas ſucciſiuis temporibus nuptias referenda eſt. Sic ergo eſt intelligendum

istud, Oportet episcopum esse vnius vxoris virum, hoc est, non plures aut habere, aut etiã habuisse vxores. Polygamus enim est, qui aut pluribus simul, aut aliquoties repetitis fruitur nuptiis.

Mox sequitur responsio ad impias Zuinglij calũnias.

HOs nuptiatores comes adsequitur Tigurinus pseudoapostolus Zuinglius, magno calumniarum & impietatum agmine stipatus. Quem in mediis conatibus contemptæ, & quod grauius est, oppugnatæ Christianæ disciplinæ hostili periisse gladio ferũt. Sui interitus (qui vtinam suæ animæ fuerit salutaris) tempus & annum Ioannes Carion suo chronico hoc aperuit disticho,

Occubuit patrio bellator Zuinglius ense: Literę numerales annũ indicãt 1536.
Et victa est armis gens populosa suis.

Quem si ætate priorem, hoc loco in acie posteriorem faciamus, nemo miretur, cùm apud eos confusa sint omnia, & prępostera. vt non referat quos primos, quosve faciamus esse nouissimos: apud quos nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Hic inquam Zuinglius, dum perpetui cœlibatus gloriam prosternere ac fœdare nititur, sibiipsi maculam comparat indelebilem. Nihil enim aliud quàm propriam inscitiam prodit, & notam mentis male sibi cõsciæ.

Primum itaque censet delirij speciem præferre, si quis promittat amico se illi daturũ, quod ex ꝓpria eius officina crumenave hauriat. Cui respondendum est, impium esse hoc negare: imo nihil offerri posse, quod non de manu domini acceperimus: quandoquidem omne datum optimum desursum est. Quare hæreticum est dicere, quicquam posse domino offerri, quod non de manu eius prodierit, qui ait, Sine me nihil potestis facere. Ipse enim est, qui operatur in nobis & velle & perficere. Sed & hæc calumnia ex prædictis abunde refutata est.

Iam deinde temeritatis nos arguit, quòd turmatim ad cœlibatum recipiantur, & continentiæ professionem complures: cùm dominus dissuadens absterreat temerè accedentes, dicens, Qui potest capere, capiat. Et ad id quidem responsum est, ea verba hortantis esse, non absterrentis. Ita enim pij omnes interpretati sunt, vt ex citatis in eam rem

locis demonstratum est. Nam si dominus Christianos absterreret à cœlibatu, impius esset Paulus, vtpote Christo cõtrarius: qui inuitat ad id, à quo dominus absterret. Inuitat autem dum ait, De virginibus præceptum domini non habeo, consilium autem do. Quin diuus Ambrosius quinque ex Paulo citat locos, quibus docet eundem hortari quosque ad amplectendum cœlibatum, dicens, Cõsilium non semel datum, sed sæpe repetitum. Et primo dixit, Bonũ est homini mulierem non tangere. Et iterũ, Volo sic omnes homines esse, sicut & meipsum. Et tertio, Bonũ est illis, si sic maneant sicut & ego. Et quarto, Bonum est propter instãtem necessitatem, & hoc placere domino, & hoc honestũ esse. Postremo beatiorem esse in viduitate perseuerantem, non tantũ suo consilio, sed etiã dei spiritu definiuit. Quænam igitur talis consiliarij benignitatẽ recuset, qui & voluntati habenas indulgeat, & id suadeat aliis, quod in se expertus vtile iudicauit, non facile comprehendi, nec fastidiosis æquari? Hæc Ambrosius in lib. de viduis. Mira hęreticorum cæcitas, quod nihil ex eorum ore prodire possit, quo non impingant ad lapidem offensionis, & petram scandali: cùm impietatem in omnibus pro religione obtrudant, stultitiæ & temeritatis accusantes eos, qui nihil aliud quàm ex præscripto sacræ scripturæ sua vota peragant. Cæterum ecclesia nulli patrocinatur temeritati: quæ omnes admonet, & ingenti voce obtestatur accessuros ad cœlibatum, vt diu ac multum implorato diuino auxilio, secum cogitẽt quid ferre recusent, quid valeant humeri.

Quis non miretur pseudographi huius mores præposteros: qui cùm videri velit totus pẽdere ab authoritate scripturæ, eam tamen nusq̃ non vitiat, corrũpit, obscurat? Ait enim idcirco de medio tollenda esse vota, quòd ea sint extra scripturam. Id quod falsum esse abunde monstratum est in deipara virgine, quæ ait, Virum non cognosco. Idemq; ex Paulo colligi, qui de voto adstrictarum loquitur mulierum, dum ait, Nubere volunt, habẽtes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Est autem huiusmodi fides ex sacrorum conciliorum interpretatione castitatis persancta iurata promissio. Adde quod ex cap. Ecclesiasticarum distinct. xi. pleraque extra scripturam reperiuntur: quæ ta-

mẽ ecclesia Christi incõcusse obseruat, & in huiusmodi instituto cõstantissime perseuerat. Quare hic Zuinglius bis peccat. Falsum enim assumit, & ineptissime colligit.

Futilia sunt, quæ præmisimus: sed istud longe vanissimum ac delirij plenum, quod pronunciare audet, Nullum onus imponendũ esse humeris hominũ preter mandatũ de diligendo plus cæteris omnibus domino. Quare non esse imponendũ continentiæ & cœlibatus iugũ hac ratione cõtendit. Hic tot sunt errata, quot verba. Primũ nemini imponitur iugum istud ex precepto. Nemo nisi volẽs accedit. Premonentur singuli, vt magna cum maturitate id faciant: eisque designatur anni interuallum aut amplius, quo acceptare possint aut refutare propositæ continentiæ fastigiũ. Nullus igitur onus imponit, sed pro sua quisque voluntate id accipit, diuino prius suffragio implorato.

Deinde incusat iste impius Paulum, qui ad hoc omnes passim inuitat, nẽpe (vt videri vult) ad nouũ onus vltra preceptum de diligẽdo deo. Deniq; in Christũ ipsum impius est: quem scire debeat nos adhortari ad eunuchismũ euãgelicum, etiã vltra mandatum dilectionis dei & proximi. In hoc quoq; suã cæcitatẽ prodit: qui scire debuerat cõtinentiæ professionẽ nedũ non sufficere, imo summopere cõducere ad charitatis Christianę preceptũ implendũ. Dũ enim scriptũ sit, Beati mũdo corde, qm̃ ipsi deũ videbũt: hæc puritas cœlibatus magna ex parte lippitudinẽ oculorũ abstergit, vt inde diuinæ maiestatis radius purius agnoscatur, & agnitus syncerius diligatur. Non igitur vt onus aggrauat cœlibatus, quin potius leuiorẽ ac faciliorẽ viã parat ad charitatis culmẽ assequendũ. Hac enim arte non granatur, sed leuatur onus. Quod mirandũ est hunc impiũ minime aduertisse, qui ex Paulo legisse debuerat, Mulier quæ nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.

Illud præterea opponit, sed incassum: sic à domino donari castitatẽ, vt pro ipsius dãtis arbitrio semel atq; iterum quãdoq; auferatur oblata, ac vicissim restituatũ ablata. Non enim in hoc dominus quicq̃ tribuit vt auferat, imo vt perpetuo pseueret, qui ait, Si quis biberit ex hac aqua, fiet ei fons aquæ saliẽtis in vitã æternã. Non cõfert vt auferat, de quo scriptum est, Sine pœnitentia sunt dona dei. Quin potius

prius deseritur, q̃ deserat: nec à se quenpiam dimittit, nisi dimissus. Nō est ergo cur timere debeas, ne tibi desit inuocatus: imo vt Augustinus ait, Nunquā dominus quæritur, nisi inuentus. Sic nunquā deseritur, nisi desertus. Timeant potius hæc dona sibi deperire, qui animū ita despondent suum, vt audire mereantur illud Psalmistæ, Deū non inuocauerunt: illic trepidauerūt timore, vbi non erat timor.

Necdum ebullire cessat impia temeritas, quę ait, Irreligiosum esse fidere operibus futuris: contra id quod scriptū est, Nescit homo an odio, vel amore dignus sit. Fidit autem qui in posterū se obligat. Verùm si quid haberet salis hæc insulsissima ratio, eo deduceret, vt iniquum fore censeatur quicquā in futuro promittere: sicq; omnia vota etiam temporanea, quę in scriptura passim legūtur, damnanda forēt. Dicamus ergo Annā peccasse & Samuelem: peccasse etiam vnà cum suis parentibus Samsonem, atq; adeo totū Nazareorū ordinē: imo & male consuluisse Moysem, Psalmistā, ac Salomonem: qui vota edita de futuris persoluenda numine etiā afflati & inspirati censuerūt, ac districtissime mādarunt. Vides vt nusquā, quocunque te vertas, apud Hęreticos deest impietas: qui nec verbulum sine blasphemia seu prudentes seu imprudentes aut emittunt, aut euomunt. Quid igitur? Nemo audebit promittere conuersionē morum & vitæ: & in exorcismo temere agitur, quoties abrenūciatur diabolo & pōpis eius. Et temere deipara virgo ꝓponebat se virū non cogniturā, qm̄ illud ex futuro pēdebat. O cæcas hominum mentes, ô pectora cæca.

Iam video satius esse compedibus & flagris huiusmodi ꝓpulsare errores, q̃ nihil profutura his peruicacibus ingeniis ratiocinatione, cum eis agere. Satis ergo fuerit ex his specimen intueri eorum, qui intus adhuc delitescunt, errorum. Nam ex his paucis discere poteris reliquos.

Sequuntur rationes elidendæ, quæ aduersus omnia in vniuersum sacræ religionis vota proferuntur.

HVic non satis fuit castitatis institutum inuadere, nisi simul cætera vota impeteret, & hostiliter aggrederetur. Temerarium enim censet perpetuæ se deuouere obedientiæ. Sic enim argutantur Zuingliani, Teme-

re id promittat quiſpiam, à quo ſi quis requirat, an perpetuo credat ſe ſeruaturum, non auſit illud ex fide polliceri. Si quis autem requirat ab eo, qui votorum monaſticorũ legibus ſe adſtringit, an ſecũ omnia futura reputans, exiſtimet ſe reſponſurum conuentis & pollicitis, quæ in ipſo ingreſſu pollicetur. Reſpondebit (ad nota conſcientia in ſecretius conſilium) exiſtimare ſe non impleturũ omnia, quæ pollicetur. Temere ergo promittit, quod ſe nunquam exhibiturum confidit. Adhæc neque votum iſtud eſſe expediēs, his coloribus ſuadere nituntur. Quoties, inquiunt, quiſpiã culpam omnẽ expiaturus, ſingula peccata enumerat: quibus enumeratis, proponit ſe nunquã cõfeſsis ac deletis peccatis adhæſurum. Verùm vt conuenit ita proponere, non tamen expedit vt voueat ſe poſthac non peccaturum propter periculum lapſus, quo ſcilicet peccans gemina laboraret culpa, quia præcepti eſſet deſertor & voti. Nunc autem ſimile periculum imminet ei, qui perpetuo vouet ſe obſeruaturum caſtitatem, paupertatem, & obediētiam. Non eſt igitur expediēs, vt quis ſeſe huiuſmodi votorũ vinculis adſtringat. Reſponſio. Attigerat olim huius captiunculę calumniam Petrus Mõtius ſuæ rhapſodiæ lib. xi. Ex cuius lectione iſtæc (niſi vehemēter fallor) mihi mutuata vidētur. Cuius dicta poſthac elidēda in vnũ conferã. In primis negat Montius opera ex voto prodeuntia deo eſſe gratiora, q̃ quæ ſine voto fiunt. Hinc ſui erroris anſam accipiens, quòd in voto libertas adimitur: non intelligens libertatem arbibrij non eſſe diminutam. Nam eadẽ eſt volendi & non volendi facultas, non autem eadem facultas iure operandi. Nam ſi obligatio tolleret arbitrij facultatẽ, ea ratione pręcepta diuina arbitrij libertatem adimerent. Aequa eſt, igitur volendi libertas, ſed non iuris facultas. Nam & promiſſio facta alteri obligationem habet, ſed libertatem volendi non adimit. Nec minus liberæ ſunt beatæ animæ, ſi ex ſuo ſtatu peccare non poſſunt: nec minus liber eſt voto adſtrictus, ſi iure non licet quod antea licebat. Nam ad volendũ & nolendũ eadẽ eſt ꝓpẽſio. à qua radix merẽdi defluit, iũcta tamẽ gratia. Adiũgit aũt Montius non eſſe de poſteris iudicandũ. Proinde elati animi eſſe cenſet de futuris iſta polliceri. Verũ non intelligit idem obiici poſſe de quâ-

cunq; in posterũ promisßione. Sicq̃; eadẽ opera dicturus est neminẽ debere in futurũ quicq̃ polliceri. Quid aũt de cõiugio dicendũ cẽset, vbi corporis alterna potestas hinc & inde tribuitur, si non licet se in futurũ obligare? pręsertim vbi vndiq; adfluũt innumeræ præter spem molestiæ. Et tamen sine præsumptione iniri possunt cõiugia: nisi Paulo cõtrarius esse pergit ꝓnunciãti, Honorabiles esse nuptias & thorũ immaculatũ. Quod aũt de merito contẽdit Mõtius, illud scire debet, excellẽtiori virtuti pręmiũ maius & cumulatiorẽ paratã esse gratiã: & plus esse offerre vnà cum arbore radicem, q̃ fructus tantũ inde prodeũtes. Porro in voto quis abnegat semetipsum tollẽs crucẽ suã quotidie, quo expeditius dominũ sequatur. Si ergo, scriptura teste, dominus reddit vnicuiq; iuxta suũ laborẽ: vbi labor amplior, ibi cumulatius est præmiũ. Hac igitur errorũ nube depulsa, ad scopũ redeundũ est, videndũq̃; quomodo citra præsumptionẽ quis polliceri poßit se cũcta obseruaturũ, quæ recepti ordinis regula mãdat. Et ad id quidẽ respõdet diuus Bernardus in lib. de dispẽsatione & præcepto. Quẽ cõstat ex decursu non dißimiles aduersus monachalẽ statũ audisse calũnias: quas tamẽ omnes, vt erat & ingenio pręditus, & diuino afflatus numine, strenue repellit ac retũdit. Quod notius euadet, si ipsum audiamus loquentẽ. Primũ itaq; hanc pręfatur sententiã, Etsi omnis inobœdiẽtia sit culpabilis, nulla tamẽ æternaliter dãnabilis est: nisi quã remediũ pœnitẽtiæ nõ sanat. Nulla lætaliter criminalis, nisi quæ supbiæ contemptũ nõ euitat. Quo iacto fundamẽto vltra ꝓgredit̃, inqẽs, Verũtamen nemo, si caute ꝓfitetur, pollicet̃ se vltra in nullo trãsgressurũ, hoc est iã non peccaturũ. Alioq̃ aut pierat, aut sanctior eo est, qui ait, In multis offendim⁹ oẽs. Nemo itaque ꝓfiteri credatur, quod certũ scit nõ posse teneri. Partiẽda igit̃ est obseruatio regularis in præcepta & remedia. Pręceptis instituit̃ vita cõtra peccatũ, remediis restituitur post peccatũ innocẽtia. Solũ itaq; censuerim fregisse votũ, violasse ꝓpositũ, pactũ pręuaricasse: qui & pręceptũ cõtẽpserit & remediũ. Securũ dico illũ, qui se interdũ limitẽ obœdientiæ præterierit, consiliũ non respuit pœnitentiæ. Pars siquidem regulæ est regularis correctio, & in ea reperitur non bonæ vitę instructio, sed etiã emẽdatio prauæ. Moxq̃;

ſequitur, Cui iam vel ita profeſſo impoſſibile, imo per dei gratiam non perfacile ſit cauere præuaricationem, vbi non tam inobœdientia, quàm impœnitentia facit præuaricatorem. Tandemque rem ipſam acu tangens, ſic ait, Qui ſe periurum putat, eò quod ad punctum regulam non obſeruat, videtur mihi non ſatis attendere quid iurauerit. Nemo certe cum profitetur, ſpondet regulam, ſed ſui quiſque conuerſionem, ſuamque deinceps conuerſationem iuxta regulã dirigere pollicetur. Quibus Bernardi conſummatiſſimis verbis illud vnũ corollarij vice adiungam, Omnes regulæ monaſticæ conditores ſuarum inſtitutionum efficaciã obligationémve vniuerſalis eccleſiæ, ac ſummorum in ea Pontificum ſubmiſiſſe arbitrio atque iudicio. Iam conſtat piam matrẽ eccleſiã nõ intẽdere vouẽtẽ ad ſingula mandata læthali culpa innodari. Satis enim eſt, ſi culpam voluntaria pœna ſequatur. Atqui non ſuperat vires humanas huiuſmodi profeſſio, & profeſſionis obſeruatio. Proinde qui hæc profundius apud ſe cogitauerit, plane intelliget nihil ſupereſſe in ea re ambigui. Iam ſi cui hæc non ſatisfaciãt: indignus eſt qui doceatur: ſuis magis ſeruiens affectibus, quàm rationi, Paulique iudicio ſibi relinquendus, vtpote vaniloquus & ſeductor, ſanæ doctrinæ impatiens, & qui nulla poſſit adhortatione domari.

Repellenda eſt nihilominus Petri Montij calumnia, imprudens, ne dicam, an impudens, quam in vouentes torquet, falſò impingens, quòd arrogantiam Petri imitentur, quum diceret, Etſi omnes ſcandalizati fuerint, ego non ſcandalizabor. Sed longe impar eſt vtriuſque conditio, vouentis ſcilicet, & auxilium dei humiliter implorantis, ac Petri contra verba Chriſti præſumentis. Ille enim nihil aliud quàm vocatus adeſt: & interius à ſpirituſancto inuitatus, ſe ſuáque omnia vocãtis deuouet arbitrio. Quaſi ita dicere velit, Deus meus es tu, mihi nõ eſt bene ſine te, in manibus tuis ſortes meæ. Hic autẽ Petrus Chriſto præmonenti contrarius ire videtur, vnà & domini verbis repugnans, & ſe alijs etiam præferens, quin & heroica atque ardua de ſe promittens.

Deſinat ergo Montius eos pari temeritatis iugo premere, qui tam à ſeinuicem diſtant, quã ortus ab occidẽte ſeiũ-

gitur. Desinat, inquam, aut iustum cum impio, aut innoxium damnare cum noxio.

Nunc personatus prodit in aciem Zuinglius, qui reuelata facie nihil promouit. Profert enim laruas, veluti ex sacræ scripturæ ærario depromptas: vt his saltem absterreat incautos, & seducat imprudentes. Verum eius generis est laruæ impostura, vt neque diu, neque multis imponat. Torquet enim scripturam inuitam ac renitentem aduersus cœlibatum, dum asserit de instituti monastici authoribus Paulum prophetasse his verbis, priore ad Timoth. 4. Spiritus manifeste dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentiũ mendacium, cauterizatam habentium conscientiam, prohibentiũ nubere, & abstinere à cibis, quos deus creauit ad percipiendum cũ gratiarũ actione fidelibus, & his qui cognouerũt veritatem. Quia omnis creatura dei bona est, & nihil est reijciendum, quod cum gratiarũ actione percipitur. Sanctificatur enim per verbũ dei & orationẽ. Et hæc tã sacra, tãq; suspicienda verba prophanare ac fœdare nõ veretur fœdissima hæc Zuinglianorũ colluuies. Quos certe scire oportuit lõgius se abesse à mente Pauli, q̃ sit semotus ab Arari Parthus aut à Germania Tigris. Nemo enim non intelligit illud Pauli vaticinium ad Manichæos, Tatianósque relatum ab omnibus, qui hanc sententiam tractauerunt, authoribus. Cui sententiæ apertissimè subscribunt Hieronymus, Chrysostomus, Theophylactus, insuper & Augustinus. Deniq; quis non? Demũ & tacẽtibus etiam ipsis res ipsa apertissime indicat. Quid enim Paulus dicat, audiamus. Spiritus enim (inquit) manifestè dicit, quòd in nouissimis diebus discedẽt quidã à fide, adhærentes doctrinis dæmoniorũ: qui scilicet suis præstigijs fallant auditores. In hypocrisi loquentium mendaciũ, manifesto argumento significans eos, non per ignorantiã, sed per industriã peccaturos, scientes quidẽ, & volentes, sola simulationis larua tectos & cõtentos. Cauterizatã habentiũ conscientiã, multa videlicet superstitione inustã. His vitijs, quis tã perfrictæ fuerit frontis, vt asseueret laborasse authores omnes cœlibatus ac votorũ, quales fuerint illi quondã ecclesiæ heroes? qui suis regulis editis,

& seruatis,miro splendore in ecclesia coruscarunt: adeo vt alluxerint coruscationes eorum orbi terræ:quas vt vidit,cõ mota est terra,bona scilicet pars hominũ: quæ nunc etiam maxima turba est, & Christianæ religionis gloria non infima. Hi olim fuerunt Benedictus,Basilius, Martinus, Bernardus, Augustinus, Fructuosus Episcopus: quo authore prodijt illud celebre capitulum,Carnem.de consec.distin. 5.Quo manifeste ostendit illud Pauli, vaticinium non officere huic instituto abstinentiæ à carnibus. Carnẽ (inquit) nec cuiquam monacho gustandi, nec sumendi est concessa licentia:non quod creaturam dei iudicemus indignam. At Paulus inuehitur in eos, qui idcirco à carnibus abstinẽ dum ducerent,quòd immundæ essent & indignæ, quibus vesci oporteat Christianum. Omnis(inquit) creatura dei bona est,& nihil reijciendum,quod cum gratiarum actione percipitur. Is(inquam) Fructuosus suis verbis ostendit non esse contrarium Paulinæ menti suum de abstinentia institutum. Et hic quidem martyrio claruit apud Tarasconem. Hos tam insignes viros quis audeat pronunciare in hypocrisi locutos fuisse mendacium,adhæsisse doctrinis dæmoniorum,cauterizatam habentium conscientiam? Hęc,inquam, cogitare, nedum proferre quis audeat, nisi qui posuit omnem de fronte pudorem? Quòd si ad eos verba Pauli non pertinent, quis tam hebes, tamque præpostero ingenio,vt dicat ea quæ sequuntur de ciborum delectu,deque arcendo à legitimo copulæ coniugalis thoro, ad eorum spectare statuta? Sed quid de illis paucis loquor?Stephanus,Nicolaus,Gregorius primus ecclesiastici cœlibatus authores, Calixtus item Papa martyr in capite, Pręsbyteris.distin. 27. legẽ de indicendo cœlibatu introduxerunt,introductam probarunt,probatã confirmarunt, confirmatam auxerunt,auctam denique ad nos vsq; perducendã curarunt. Hic tuã conscientiam appello Lutherane, Censes ne hos omnes vita, eruditione ac moribus clarissimos diabolicis delirasse commentis? Cauendũ tibi potius est, ne te malus aliquis genius eò dementiæ impulerit, vt isthæc mente tractares. Sed quid mora opus, quãdo illi omnes nuptias non prohibent?Prohibet enim nuptias,quisquis inuito legem dicit,quiq; arcet à thoro coniugali libe-

ros & volentes: quasi coniugio aliquid subsit criminis, aut sceleris. Et in hac re reuocanda est memoria ad quartum, & quintũ præloquia. Quod autẽ ad delectum ciborũ attinet, non semel illud à me dictũ est in Pauli sentẽtia notari Marcionitas. Qui vna eadẽq; opera & nuptias damnabãt, cibos immundos censebãt: ob idq; reijciendos, quia ex cõplexu ꝓdijssent venereo. Hi ergo nõ vno errore contenti, bis peccabant, nuptias iniquas, & cibos immũdos arbitrantes. Cui errori aperte se totum opponit Paulus, dicẽs omnẽ creaturã dei bonã esse. Et huic sententiæ succinit Fructuosus Episcopus in dicto cap. Carnẽ, inquiens, Non iudicare se creaturã dei indignã. Hinc ergo videre prõptũ est hanc Pauli sententiam nulla ex parte pugnare cum sacrosanctis de cœlibatu, deque abstinentia monastica decretis.

Alios nobis fumos offundit ob oculos solita temeritate Zuinglius, verum ita crassè ac stupidè, vt vix responsione digna videantur, quę obijcit. Primũ ex priore ad Timoth. 1. cap. citat verba Pauli dicentis, Iusto non esse legẽ positã Sed quid hoc ad rẽ nostrã? Cum nihil aliud velit his verbis q̃ hoc, vt nihl opus est frenis calcaribúsve equo currere volenti: Sic præscripta legis minime terrent eum, qui animo est propenso in hoc, vt Christi mãdata sequatur: cui illud semp obuersatur oculis, Bonũ mihi lex oris tui super milia auri & argenti. Vti enim nullis tenetur repagulis (tametsi clausus cubiculo) qui quoties vult egreditur, & ingreditur, vtpote clauẽ secũ ferens: aut qui in insula est aquis circũseptus, cymbã habens ad manũ, se minime putat irretitũ. vti neq; auis in medijs aquis, quæ alarũ remigio facile delabitur in continentẽ: Ita nec qui bonę mentis est, & flagrantis erga deũ animi, nullis se cõpedibus existimat alligatũ. Qui pœna nõ terretur, supplicio nõ cogitur: quadãtenus a lege se liberũ censet. Deniq; iusto negat legẽ esse positã, quod pœna legis eum, qui iustus est, non attingat: legem pro pœna legis accipiens. Hoc enim est, quod sequitur: Sed iniustis & adulteris. Et huc spectat dictum Christi ad Pilatum, Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datũ esset desuper. Quasi ita dicat, Innocentia facit, vt tibi in nullo sim obnoxius: tibi tamen à deo permittitur quadã potestate, facti potius, q̃ iuris, vt me iudices. Cui & illud al-

ludit: Venit princeps mūdi huius, & in me nō habet quicq̄ Hoc insinuans, quòd cum princeps terrenus ius non habuerit in Christum: fas tamen illi deo permittente fuit, iudicare Christum. Sed in his omnibus nihil est quod auocet vouentē ab obœdientia. Hic mihi videtur delphinum syluis adpingere, fluctibus aprū. Istud enim extra caussam vanissimè inductum est, vti & aliud priore ad Corinth. 7. Empti estis precio magno, nolite fieri serui hominum. Hic nihil aliud agit Paulus, q̄ vt persuadeat non esse seruandam in re iniusta & iniqua obœdientiā: vt deū potius sequamur mala dissuadentem, q̄ hominē impia iubentē. Sed & in hoc conspirat tota religionis disciplina. tantū abest, vt huic dicto aduersetur. Regula enim monastica huc maximè tēdit, vt ad pietatem & dei cultum omnia votorū exercitia referantur. Illud etiam iudicio ac mente caret, quod aiunt viuendi formulas varie inductas ad seditionem sectamq; pertinere: vt solent omnia semper in peius interpretari. Qui si vel micā salis haberent, scirēt huiusmodi instituta viuēdi vias potius appellari quàm sectas, iuxta phrasim Pauli, qui Actorum vicesimoquarto ait, Confiteor hoc tibi, quòd secundum viam, quam dicunt hęresim, deseruio patrio deo meo, credens omnibus quæ in lege scripta sunt, spem habēs in deo. Quam viam nos appellamus, Græci ὁδὸν vocant, Vnde & periodus nomē habet. Paulo autem odiosius est nomen sectæ, tametsi per se indifferens. Plerunq; tamē secta appellatur, vbi ita quis suum tuetur propositū, vt alienū vituperet institutū. Quod genus sectæ lōge abest à piis mētibus ac verę pietatis cultoribus. Ita enim suæ quisq; regulę vacat, vt alienā minimè fastidiat. Imo & quēq; beatum putet, si in ea vocatione qua vocatus est, in illa permaneat.

Illud quoq; min⁹ appositè ꝓferunt aduersus monastica viuendi instituta, Omnia vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas. Neq; enim prohibet quempiam Petri, Pauli, ac proinde Francisci, Dominici, aut cuiusuis alterius in sacra religione patriarchæ effici imitatorem: cum idem ipse alio loco dicat, Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Hoc solum prohibet quod subiungit, Ne vnus aduersus alterum infletur pro alio. Quod & ipsum prohibent omnia viuendi instituta monastica, ita tamen, vt

liceat prælato ſubiici & regulæ, potius quàm inniti propriæ prudentiæ. Nam ſi ſic noſtra eſt vita prælatorum, vt eorum etiam imperia noſtræ cedant vtilitati, an non etiam debet eſſe alterius, vt illi ſe præſtet obœdientem, qui ſenioris præſcripto & directione indiget? Quare hæc verba ad obœdiẽtiam magis prouocant, quàm auocent. Cur enim non obſecundem alteri in meum ipſius commodum, ſi is, qui mihi præeſt, meæ ſeruit vtilitati? Quòd autem præſcriptione votorũ libertatẽ à nobis auferri nugantur, id planè falſum eſt, cum huiuſmodi votorum obſeruatio ei, quæ vera libertas eſt, viam ſternat ac præparet. Vera enim libertas eſt, quę à peccato auocat, & ad deum accedere facit, affectus retundit, carnis ſtimulos extinguit, denique ab omni peccandi occaſione animum ſemouet. Quæ omnia præſtat votorum obſeruatio. Eſt enim methodus ad libertatem, ad quam nos Paulus inuitat, dicens in Romanis ſexto cap. Liberati à peccato, ſerui facti eſtis iuſtitiæ. Moxque ſequitur, Nunc vero liberati à peccato, ſerui autem facti deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem vero vitam æternam. Verum aliam libertatem quærunt pſeudo iſti euangelici, quæ verius licentia antichriſtiana dicenda eſt, quàm Chriſtiana libertas, de qua ſcriptũ eſt, Non quaſi velamẽ habentes malitiæ libertatem, ſed ſicut ſerui dei. Iam qui ſponte & ex animo obœdit, verè liber eſt: contra ſeruus, qui licentia ad peccandum abutitur. Hæc enim libertas Chriſti eſt, vbi quis ſe ſubiicit humanæ creaturæ propter deum. Hoc enim eſt, quod ait, Subiecti eſtote quaſi liberi. Nam ſponte ſeruire, apud Chriſtum libertas eſt. Et de Zuinglianis nugis hactenus dictum ſit.

Cæterum vſqueadeò irrequietum eſt ſtudium cõtradicendi, vt obuia quæque in gladium, ſi poſsit, conuertat, vtpote ſtipulam tenuiſsimam in enſem, aut lanceam. Nã quid alienius eſt à propoſito, quàm ita argutari, Non quaſi dominantes in clero, ſed forma facti gregis: ergo non oportet cõſtituere leges humanas, ſeu eccleſiaſticos canones, cum potius cõtrarium colligi poſsit. Dicit enim Petrus prioris epiſtolæ cap. 5. Paſcite, qui in vobis eſt, gregem dei. Hæc autẽ paſtura maximè fit bonis conſtitutionibus, non tam ad vtilitatem legem conſtituentis, quàm gregis ſubiecti. Et hoc

est quod ait, Non quasi dominantes in clero, vt scilicet caueatur ab ea specie tyrannidis, qua propriæ seruitur vtilitati potius, quàm alienę. Hoc enim est pascere, non dominari, dum maximè subditorum saluti consulitur. Et id quidem fit bonis & sanctis legibus.

Aiunt præterea non esse datam pastoribus aliam auctoritatem, q̃ vt doceant seruare euangelica mandata. Quod prorsus non abnuendum est. Nam canonicæ institutiones eo fine feruntur, vt viam parent ad obseruationem euangelicæ traditionis. Vbi autem duo sunt vnum propter aliud, ibi vnum tantum. Constat autem etiam ipsos apostolos in Actis docuisse præter euangelium traditiones seniorum, Actuum. 15. Et Paulus in Corinth. ait, Cum venero, disponam.

Cum autem volunt nobis vnicam euangelii legem sufficere, reiectis constitutionum humanarum formulis, planè falluntur. Nam sapientibus, & insipientibus debitores sumus, ait Paulus. Cum autem bene habentibus, & qui probè cibos concoquunt, esca necdum planè cocta sufficiat, ęgrotis tamen ac debilibus opus est aut cibo teneriore, aut certe medicina. Cubiculum iam ingressis, claue nihil opus est, quæ tamen ingressuris necessaria est, vt illis in domum pateat aditus. Opere completo nihil opus fabris malleo: quod vt perficiatur, eius vsus necessarius est. Sic qui perfectionē euangelicam nondum adepti sunt (quæ apud Christianos maxima turba est) constitutionibus humanis indigent, vt faber malleo & incude ad tundendum acuendúmve ferrum. Et imbecillioribus lacte opus est, necdum solido cibo.

Aiunt præterea non esse peccatū nisi contra legem dei, ideóque legem hominum non parere obligationem. Verum non attendunt id, quod dominus in euangelio dicit. Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Et quasi peccatum ariolandi est nolle obedire. Paulus autem ad Hebræos dicit, Obedite præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris. Sic ergo dum contemnitur prælatus, offenditur deus.

Proferunt & istud. Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis, ex hoc stupidissime colligētes non debe-

ri hominibus obœdientiam, cum potius eliciatur contrarium. Vult enim diuus Paulus eo loco, vt singulis reddãtur debita. Verum hoc vult, vt soluẽdo amplius non debeãtur. Qui ergo debitam persoluit obœdiẽtiam, iam desinit in ea re esse debitor: nisi forte in charitate, quę semper & debendo persoluitur, & persoluẽdo debetur. Non ergo tollit obœdientiam, cui semper vult adhærere dilectionem.

Quòd autem toties crambem suggerunt recoctam, dicentes, Vbi spiritus domini, ibi libertas, minimè aduertunt eo loco agi de libertate à culpa, non ab obedientia, à sceleribus, nõ à legibus, demum à coactione, non à subiectione. Quin vera libertas Christiana in spontanea obedientia maximè consistit. Liberrimus enim est, qui semper est ex charitate ad obœdiendum paratus.

Sed & illud proferunt ex Deuteronomio. 4. Non addetis ad verbum, quod loquor vobis. Et Deuteronomii. 12. Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito. Quasi verò Christi apostoli suis traditionibus impegerint ad hunc scopulũ. Adeo cæci sunt, vt non videant in quam blasphemiam impingant, qui in Actis legunt, Traditiones & mandata seniorum. Sciant igitur notam exclusionis tantum hoc loco excludere contrarium pręcepti diuini. Iubet enim sua pręcepta seruari dominus, ita vt nihil admittatur contrarium. Humanæ autem leges, (quæ ad disciplinam ecclesiasticam pertinent) tantum abest vt obuient mandatis diuinis, vt illis etiam maximè subseruiant. Sed nec huiusmodi statuta condere, addit ad sacram scripturam. Addit autem qui humana sacris admiscet, & eodem gradu haberi vult leges humanas cum diuinis. Quo maxime errore laborant hęritici, qui quicquid illis in buccam venerit, dicunt esse euangeliũ. At verò pręter scripturam aliquid disponere, non est addere ad verba dei. Obscura interpretari, hoc non est addere. Nam ad sacerdotem Leuitici generis recurrendum esse dominus ipse statuit pro interpretatione legis de eius ore suscipie nda. Si difficile (inquit) & ambiguũ apud te iudicium esse prospexeris, & iudicum videris verba variari, venies ad sacerdotes, qui indicabunt tibi iudicii veritatem, sequerisq; sentẽtiam eorum. Deuteronomii. 17. Addunt autẽ ad scripturam hæretici, qui eam corrumpunt, inflectunt, torquẽt,

pseudographè interpretantur, denique in suum sensum repugnantem trahere nituntur. Contra verò licuit apostolis incolumi mandato diuino dicere, Visum est spirituisancto & nobis, nihil vltra vobis imponere oneris, quàm hæc necessaria. Eadē auctoritate licuit Paulo ad Titum scribere, Reliqui te Cretæ, vt quæ desunt corrigas. Sic & ipsi ecclesiæ licet in his, quæ ad disciplinam ecclesiasticam pertinēt, & premere, & laxas permittere iuris habenas. Nihil enim mirum videri debet, si pro varietate tēporum statuta quādóque varientur humana.

Reliquam calumniarum turbam inconditam nullo negocio conterere.

QVo semper inuicta veritas solidum referat de hoste triumphum, quicquid nugarum superest, quo suam tegere conantur impietatem hęretici, exibilare conuenit, ac penitus exsufflare velut stipulam ante faciem venti. Supersunt enim puerilia quædam leuioris operæ contra cœlibatum irritamenta, quæ passim in eorū dogmatibus respersa leguntur, quemadmodum

Neglectis vrenda filix innascitur agris.

Quale istud est, Si plerique omnes amplecterentur cœlibatum, quis tandem superesset soboli procreandæ locus? Non minus stupidum erat, quod diuo Hieronymo obiiciebatur, Si solitudinis amore omnes ferarum lustra peterent, syluas ac nemora incolerent, qui tandem superessent in ciuitatibus? Cui respondendum, ciuitates fore repetendas pro solitudine, nemoribus in vrbes iam conuersis. Ad hunc sane modum prima legis ratio suam resumeret efficaciam, Crescite, & multiplicamini, & replete terram, vt iam opus foret bonam hominum partem cessare à cœlibatu. Sed qui hoc timet, caueat ne cœlum ruat, præsertim cum non desint hoc infelici sæculo innumeri libidinum patroni, adde & improbi exactores: vt stultissimum sit in eo hæsitare.

Sed proficiunt in peius, ita dicentes, Illud non caret præsumptione à deo miraculum exigere. At miraculosum

est angelicam ducere vitam, cum perpetuo continere angelicum potius sit, quàm humanum. Huic ita respondetur. Quid si dominus nos ad huiusmodi miraculum petendum inuitauerit, nobis proponens eunuchismum propter regnũ dei? Nemo præsumptuosus esse poterit, si eo fideliter tẽdat, ad quod dominus misericorditer nos inuitat: quanq̃ de vocabuli ratione nihil moror an istud miraculi rationem mereatur, an secus. Quid si ecclesiæ sponsæ hunc arrhabonem Christus reliquerit, vt nunquam ab ecclesia desint, qui huius castitatis dote polleãt? Hortus est ecclesia conclusus, in quo semper lilia vernãt, cum dominus promiserit futurum, vt in nomine suo Christifideles dæmonia eiiciant, linguis loquantur nouis, serpentes tollant. Nemo igitur hanc cœlibatus excellentiam ecclesiæ Christianæ inuideat, vt quã sciat virtutum ac signorum facultate esse donatam. Nemo item pios absterreat, quin ad huius excellentiæ culmen adspirent.

Pergunt autem sui semper esse similes, imo seipsos stupiditate vincunt, dicentes satius fore, vt sacerdotes in coniugio castè viuant, quàm quòd in cœlibatu perpetuo pruritum voluptatis sordescant. At iam dictum est neque vnũ, neque aliud expedire. Quis enim cogit hominem ad sacerdotium adspirare? Si molesta est cuipiam continentia, cur à nemine compulsus improbe exigit, quod nemo ab eo requirit? Semper erunt aliqui, qui continentiæ idonei cultores reperiantur. Adhibeatur interim cautio, vt hi tantum ordinandi accedant. Iam cum cœlibatus ipse non præbeat hanc scandali occasionem, sed ipsa potius sacerdotium ambientium improbitas, accusanda est huiusmodi improborũ petulantia. Interim quid commeruit hic ordo continentiũ, vt ita flagelletur ab his, à quibus ipse commendandus venit? In summa nihil colligi potest contra cœlibatus honorem, nisi quòd cautio adhibeatur, ne petulantes & improbi facilè admittantur. Alias experientia ipsa doceret coniugatum sacerdotem, tacito omnium hominum consensu, pro non sacerdote habendum esse. Nemo certè talem admitteret ad sacra ministranda, maximè ad iniungendas peccatoribus pœnitentias Hoc docet in Græcis experientia, qui in administratione sacrorum, reiectis coniugatis, cœlibes sibi

adoptant callogeros, à quibus tantum sacra recipere volũt. Idemque factitatum esse in Neustria fideli narratione primo tomo à nobis declaratum est. Iam qui hoc dicunt, simili stultitia mihi laborare videntur, vt quidam olim imperatores, qui vsum vinearum abolere volentes, terram (vt sic dicam) emasculare conati sunt. Quod minime fieri debuerat, sed potius adhibẽdi erant fontes, quibus, vino aqua macerato, ab hominibus tolleretur ebrietas.

Illud quoque acutius consyderandum erat, quòd nuptię sacerdotibus permissę non effugerent, quin potius augerent periculum eo maxime casu, qui frequenter accidere solet, dum sacerdoti cõiugato, & eo quidem adhuc florenti ac vegeta ætate, sua vxor morte interciperetur: iam quid faciat huiusmodi sacerdos? Nubat ne denuò? At id omnino ne Græcis licuit vnquam. Est enim omnibus ex æquo interdicta bigamia sacerdotibus. Quòd si iam continendũ illi est (vt certe res habet) satius illi fuerat nunquam expertas sensisse nuptias. Nam canis à corio vix absterrebitur vncto. Difficilius enim est nuptias semel expertis adhuc florida ætate continere, quàm non expertis. Sic in periculũ ducit periculi fuga, dum caret arte. Non igitur nuptiæ sacerdotales prorsus vitarent, sed mutarent tantũ, vel potius augerent periculum.

Verum, inquiunt, nobis adimitur nostra libertas. Sed quænam est ista libertas, Christiana ne, an antichristiana? Certe si tanti apud te est ineundi coniugii facultas: si non vacat tibi esse cœlibem, non vacet esse sacerdotem. Simile olim fertur audiisse Traianus à vidua quadam, quæ cum præsentissimum ius exigeret à Traiano aliis negociis implicito, ita respondisse fertur: Si non vacat tibi esse iudicem, non vacet tibi esse imperatorem. Cœlibatus ad sacerdotium ita se habet, vti flos ad fructum, theca ad mundum muliebrem, nucleus ad nucem, ad tegendum & ornandum corpus purpura & quoduis preciosum indumentum. Iam si alterum ab altero secernas, adimas de pulchritudine: & quod superat, veluti truncum reddas ac mutilum. Sed quid libertatem vocas, id quod diuus Paulus asseruit esse seruitutem? Quod idem plerisque in locis Ambrosius annotauit. Primum enim sic ait Paulus in Co-

rinthiis priore septimo, Mulier sui corporis potestatem nō habet, sed vir. Et mox apertius, Si infidelis discedit, discedat. Non enim seruituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi. Alio item loco, Solutus es ab vxore? noli quærere vxorem. Solutionem autem præcedit vinculum. Nec his contentus, adiecit, Si nupserit virgo, non peccauit. tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi. Ego autem vobis parco. Quin & solicitudinem vocat, dicens: Volo autem vos sine solicitudine esse. Imò & sectionem quandam, dum ait, Qui cum vxore est, solicitus est quæ sunt mūdi, quomodo placeat vxori: & diuisus est. Et tamen hæc omnia libertatem vocamus. Sic autem faciunt, qui alba denigrant, & nigra loquendo dealbant: quibus tota opus est anticyra. His apertè succinit Ambrosius, dicens: Copula carnalis, quanuis licita, quadantenus immunditia est, si ad sacræ Eucharistiæ puritatem conferatur, dicente ad Dauid sacerdote, Si mundi sunt pueri, maxime à mulieribus. Libertas Christiana spiritualis est, non carnalis, non humi repens, sed ad excellentiora semper se extendens. Et de hac quidem intelligendum est illud, Qua libertate Christus vos liberauit, in ea state. Quis enim tam demens ac prorsus mentis incompos dicere audeat Christum in hoc venisse, vt nos ad coniugiū ineundū, hoc est ad obeundas huius sæculi curas, inuitaret, qui nos toto sui euangelii decursu ab huius seculi solicitudinib⁹ arcet, ac omnino dehortatur? Et tamen non pudet viros istos excæcatissimos de seruitute libertatem facere, hoc est, de tenebris lucem. Sic huiusmodi pseudoeuangelici totum euangelii ordinem peruertunt, cum nulla sit euangelica libertas à viris tradita apostolicis potior ea, quæ hominem ab occasione lapsus longius arcet, quęque semper inuitat ad ardua. Vt ergo in summa rem complectar, si homini alioqui libero semper licuit se alienæ addicere seruituti, aut militię exercēdæ, aut victus sibi comparandi gratia: quid (quæso) piaculi fuerit, aut in quo læditur libertas, si in fauorē religionis sacerdotalem quis amplectatur cœlibatū: cū is olim mos esset stipēdia merētibus militaria, vt stigmate aliquo inurerētur ad carnē tota vita indelebili? Mirū igitur esse debet, cur tā odiosa sit viris huius farinæ continentia, quam negent posse annecti

sacerdotio. Quæ tamen illi sic congruit, vt gemma auro. Nisi quòd canis balnei delectatione non capitur, nec asin⁹ lyræ concentu, nec fera florum odore quanuis suauissimo. Quòd si his rebus minimè delectātur, saltem non inuideāt his, qui ad huiusmodi gratiam adspirant, neque absterreant sub his signis merere volentes.

Audet adhuc irreligiosa temeritas tremendū etiam me tuendūque omnibus iudicem in ius vocare. Ait enim, Quò nobis indita sunt, auspice deo, natura duce, generationis organa, si non permittitur vti? Qua quidē querela quid aliud faciunt, quàm ꝙ expostulare videntur cum deo: imò verius eum incusare, ꝙ hortetur suos ad cœlibatum, dum ait, Sūnt qui se castrauerūt propter regnū cœlorum. Nam & illud est auocare ab vsu cōiugali: Eadē opera dominum accusabūt ꝙ cum in medio paradisi lignū plantauerit sciētiæ boni & mali, fróndibus decorū, frugiferum ac delectabile, vetuerit tamen ipsius fructibus vti. Incusent etiam eū, qui de cæco nato ait, Neque is peccauit, neq; parentes, vt cæcus nasceretur. Nam quò cæcis oculos, surdis aures, claudis ambulationis organa, si his nō permittitur vti? quasi vero nō in hoc creata sint omnia, vt diuinę seruiant voluntati. Ignis enim, grando, nix, glacies, in hoc potissimū creata sunt, vt faciant verbum eius. Quo fit, vt & vsus rerum dum fata sinunt, sed & ipse non vsus, si & quando diuinæ placuerit maiestati, nunquam pro vanis habeantur. Diuina quippe voluntas est vna omnium sufficiens ratio. Nam quis potest ei dicere, cur hoc aut agis, aut non agis? Iam constat deo probari, imò & maximè commendari, virginalem excellentiam. An non illud sufficere debet? Nonne oculus tuus nequam est quia bonus sum? Nōne possum facere quod volo de rebus meis? Quis enim restitit ei, & pacem habuit? Et qui sumus, qui diuinæ audeamus resistere voluntati? Iam quid non audebit hæreticorum impudens audacia, si ita os ponunt in cœlum, cum lingua eorū transeat in terra? Qui tamen scire debuerant organa corporis non sibi tantum creata, verum ad ipsius animæ vsum. Iam si vtilius est animæ, gratius deo, Reipub. cōmodius, cessare à generatione, quis neget optima ratione, & ordine congruo, cessandū esse? Quid autem deo gratius, q̄ syncera suæ maiestatis contemplatio? qui ait,

Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Ad quam quidem contẽplationem via rectissima est cœlibatus. Quo etiam ipsa anima sibi comparat virginalis status excellentiam, qua cœlum magis, quàm terra repletur. Quare vtilior est homini cœlibatus, quàm sobolis procreatio, si eam partem spectes quæ in homine præcipua est. Nec vsui tantũ corporeo seruire debent sensilia organa, imò & spiritualibus cõpendiis seu per ocium, seu etiam per negociũ accõmodari oportet. Adde ꝙ continentia ipsa, si non in omnibus, saltem in plurimis, pro data occasione non cõmoda solũ, imò & publicę tranquillitati necessaria est. Iam enim videmus nõ ciuitates modò, sed & viculos, domósq; ac familias turba hominũ pene vsque ad nauseam esse oppletas. Quòd si iam repleta est terra vsq; ad os, nõ solum nõ opus est, saltem apud plurimos nuptiali vsu, imò cum aliàs tempus foret amplexandi, cum terra suis esset viduata colonis, nunc cõmodum cessandũ est ab amplexibus, ne nimio grauata onere etiã ipsis sit iniqua cultoribus, dum nec omnes alere, nec alius aliũ pro multitudine ferre possit. Organũ igitur generationis nõ solũ ad vsum, imò etiã, vbi opus fuerit, ad nõ vsum pro re nata creatum est. Cessent igitur hæretici aduersus rerum æquissimũ sapientissimũque arbitrum suas blasphemias euomere, vna eius voluntate contenti, qui ait: Dabo eunuchis meis in domo mea nomen excellentius à filiabus & filiis: sed potius nobiscum acclament, Quàm mirabilia opera tua domine, omnia in sapientia fecisti.

Nec minus insipidũ insulsumq; est Epicuri partes fouẽtium futile cõmentum. Aiunt nulli ordini statuive indictũ fuisse cœlibatum, aut interdictum coniugiũ, ideóq; nullum ordinem arcendũ esse à coniugio. Vbi assumunt ineptè, & colligunt ineptius, aut quod verius est, vtrunq; perficiunt ineptissimè. Nam assumptũ falsitatis arguit Paulus, qui veras viduas perpetuo cœlibatui alligatas censet, dicens. Viduas honora, quæ verè viduæ sunt. Vbi ex his quæ inde sequuntur, liquet viduali statui annexam esse continentiam. Ait enim, Quæ autem verè vidua est, & desolata, speret in deũ, & instet obsecrationibus & orationibus die ac nocte. Nam quę in delitiis est, viuẽs mortua est. Pergit & hoc de-

clarare liquidi⁹,qui dicit,Vidua eligatur nō minus sexagin ta annorū,quę fuerit vnius viri vxor. Quę fuerit,inquit,nō iam vxor futura. Quod autem sequitur,est apertissimū. Adolescentiores viduas deuita. Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo,nubere volunt,habentes damnationē, quia primā fidem irritam fecerunt. Vides statui verè viduali annexam esse continentiam? Quin & ipse Paulus mulieri diuortium passæ mandat,vt in eo quod superest vitę,(nisi marito superuiuat,aut illi reconcilietur)seruare cœlibatum. Dico, inquit,mulierem à viro non discedere. Quòd si discesserit, manere innuptam,aut viro reconciliari. Et hunc quidē cœlibatum patitur hæc mulier etiam inuita. Sacerdos autem non alligatur continentiæ, nisi sciens, prudens ac volens. Quid enim mirum, si accessorium rei præcipuæ naturam sequatur?

Quod autem attinet ad id quod infertur,quis ita colligeret vnquam,Nulli ordini iniunctum est,vt voueat,aut vt se iuramento obliget,nemo igitur aut vouere debet, aut iurare? Satis esse debet,quòd inuitemur ad continentiam,quā perpetuo tenere qui volet, sibi deligere poterit statum aut ordinem,cui maximè conueniat continere. Nemo ex præcepto obligatur ad cōtrahendum, pleriq; tamen obligātur ex contractu. Nulli à domino interdicta est sæcularis aut ciuilis vitæ cōditio,nullus igitur debet euolare ad solitudinē. cum tamen consultius egerit diuus Baptista Ioannes ciuiles tumultus fugiens,& antra deserti penetrans, vt liberius sibi superisque caneret. Quo etiam fine indictus est sacerdoti cœlibatus. Nemo obligatur ad ineundū præsulatū,aut Reipublicæ præfecturam,qui tamen onus illud recipit, ad ea implenda tenetur,quæ illi incūbunt officio. Cōgruit autem sacerdotio & sacræ studiū philosophiæ. Nam labia sacerdotis custodiūt scientiā,& legem requirunt de ore ei⁹, quia angelus domini exercituū est. Cōgruit etiā sacerdoti præsertim euangelico mundities ac puritas, vt scilicet mundus sit à mulieribus. Nam semper sit purus, qui altari semper adhæret. Lauamini, (ait scriptura)& mundi estote, qui fertis vasa domini. Iuste igitur & sancte huic ordini alliganda visa est perpetua continentia, vt sacerdotii indiuidua comes ac perpetuum ornamentum. Quòd si ex certa

tribu, vt olim Leuitica, prodirent ſacerdotes, non deeſſet illis occaſio querimoniæ, cùm volentes nolentes ad huiuſmodi miniſterium traherentur. Hic autem ſecus res habet, quando ex nulla gente, nulla natione, tribúve, neque ex quouis alio ordine quiſquam compellitur, ſeu ad ſacerdotium, ſeu ad annexum illi cœlibatum. Quare nihil hic iniquitatis ſubeſſe poteſt, cum ſcienti & volenti nulla fiat iniuria, neque dolus. Hinc autẽ certiſsima cauſa redditur, cur ſacerdoti euangelico potius quàm Leuitico anne&ẽdus fuerat cœlibatus. Nam naſcebantur Leuitæ, cum ſponte tantum accedant euangelici ſacerdotes. Aliud autem eſt neceſſitate quadam duci, aliud liberè tantum accedere. Sed quid multis moror? Si non expedit nubere propter coniugii moleſtias, vti apoſtolis viſum eſt, neque id à domino reprobatur: & viuendũ eſt, donec à domino vocemur. Expedit igitur continere, pręſertim homini & ſacrorum miniſteriis occupato, & rei literariæ ſtudiis impedito. Quæ duo ſacerdotali functioni ſemper adhærent. Hoc agnouit, qui dixit, Vix poſſe quempiam & libris, & vxori pariter inſeruire: cũ è duobus alterum ſolidam hominis requirat operam. Quare huic maximè competit continere, præſertim cum nemo id oneris ſubire cogatur. Inepta igitur eſt illatio, quæ tam multis inſtãtiis interrumpitur. Vt ſi quis ita ineptè colligat, Nemini interdictæ ſunt artes pacis, nemini igitur iniungendum eſt militiæ onus. In ſumma, cuiuis ordini citra iniuriam honeſtum aliquod onus annectitur, vbi nemo trahitur inuitus, dum tamen illi expedire, aut congruere dignoſcitur. Et ob eam cauſam alligata fuit ſacerdotio euangelico continentia. Et quia ab initio liberi ſunt contractus, ex poſtfacto etiam ipſius naturæ conſenſu obligationem contrahunt. Sic quod dominus ſub conſilio reliquit, ex conſenſu eccleſiæ cadit ſub præcepto.

Obſtrepunt nihilominus hęretici hoc etiã adiungẽtes, Si licet extremam inediam repellere quocunq; cibo, qui in manum venerit, non obſtante cõtraria voti ratione iã emiſſi, cur non etiam rei vxoriæ adminiculo extremum vitæ periculum liceat propulſare? præſertim ſi medicus neget aliud patere effugium ab ingruente mortis diſcrimine, quàm carnalis vſus copulæ. Ad id vno verbo reſpondet

Paulus,ita dicens,Eſca ventri,& venter eſcis:corpus autem non fornicationi,ſed domino. Quaſi ita dicat,Per me licebit,ait dominus,quocunque eſcarum genere ventris ſubleuare neceſsitatem: at ego mihi reſeruaui corporis humanĩ mundiciem,vt non ſinam etiam pro vita ſeruanda vſu libidinis pollui. Tanto magis tenendum eſt, id quod ſuperius probauimus,nunquam deeſſe remedium viro probo ac pio, modo in domino iačtet cogitatum ſuum,& ipſe illum enutriet. Scriptum enim eſt, Multæ tribulationes iuſtorum, & de omnibus his liberabit eos dominus. Cuſtodit omnia oſſa eorũ,vnum ex his non conteretur:vt eruat à morte animas eorũ,& alat eos in fame. Imitandus potius vir quidam pietate ac religione inſignis, qui cùm titillatione carnis agitaretur aduſque extremum periculũ,ait, Malo hinc abire ſacris legibus obediens, quàm perfidiæ nota inuſtus in contumeliam viuere. Qui autem anſam arripiunt ab vno Aeneæ Syluij verbulo,quales ſint,facile indicãt. Qui ait ſe exiſtimare maiore cauſa reddendam eſſe ſacerdotio ineundi coniugij facultatem,quàm olim adempta ſit. Hoc inquam carnalis Aeneas cenſet. Vetum ſpiritualium virorum turba reclamat. Sacrorum canonum vna vox & conſenſus ex diametro repugnat. Quin & ipſe ſui conſcius erroris,ſpiritualis viri perſonam ſuſtinens,ſeipſum arguit. De amore,inquit,quæ ſcripſimus olim iuuenes,ô mortales cõtemnite,atq; reſpuite:ſeni magis quàm iuueni credite: nec priuatum hominem pluris facite,quàm pontificem: Aeneã reiicite,Pium ſuſcipite. Et hæc verba feneſtram nobis aperiunt futuræ reſponſioni,vt ſcilicet pectus vere Chriſtianũ non attendat quid Aeneas Syluius ex ſuſpicione tantũ iudicauerit,cùm dicat,Forſan vtilius. Potius huc admoueat oculos,quo ſpectare dignoſcitur piorum omnium ſpiritualiumq; virorum conſenſus: quo etiam magno clamore vocat canonicæ tubæ concentus,nempe ad conſeruandum in ſacerdotio cœlibatum. Neq; enim par fuerit,vt vnius ſuſpicio tantum viri preponderare debeat,præiudiciũque facere,ſpiritualium omnium virorum conſtantiſsimo decreto: cùm ille quadantenus ſibi contrarius videatur, iſti vero in eodem ſemper tenore ſententiæ permãſerint immoti. Deniq; ſpiritualibus creditur & caſtitatem ſemper expertis po

tius,quàm carnalibus & lapsis. Et vbi textus canonum stāt à parte continentiæ sacerdotalis,nemo mihi proferat in cōtrarium cuiusuis commenta commentatoris:nisi quis putet non erubescendum sine lege loqui. Est autem glossa in canone,vt pedamentum in vite,nempe vt seruiat viti: sic debet sequi glossa canonem,non imperare canoni.

Iam frustra se protegunt ac tuētur huiusmodi nuptiatores qualicunq; authoritate Panormitani cap. Cùm olim, de cleric.coniugat. Qui cùm aduersam sibi sciat sacrorum canonum authoritatem,facile coniectare poterat huiusmodi continentiæ authoribus nec iudicium defuisse, nec experientiam:proinde iudicasse nihil obstare suo instituto leues pro nuptiatoribus coniecturas. Nihil enim obiicit cœlibatui præter petulantium quorundā incontinentiam: qui cùm spiritu cœperint,carne consummantur. Non ignorat, quem nihil in canone scriptum latet, quòd delictum personæ non debet in ecclesiæ detrimentū redundare. Sed quis obsecro,eos ad sacerdotale fastigium traxit inuitos? Quomodo eis vacabat sacris inhiare ordinibus, si non vacet cōtinentiæ vota sectari? Ex hoc certe nihil colligi potest, quando ad præterita non est recursus, nec iusta resiliendi via:neque enim semel iurata vota iure infringi possunt: nisi quòd in posterum ita caueatur, vt nemo assumatur, nisi iam prouectæ ætatis & longo vsu & experientia morumq; probitate stabilitę. Sic fiet,vt ea,quæ imminere incommoda dicuntur,euanescant. Nec satis consultè dictum videtur ab eo,qui in scrinio sui pectoris iura tenebat, expedire vt lex de continentia feratur sub pœna tantum, nulla imminente culpa. Sciebat enim cito violari auro iustitiam, & quòd reus pœnam non timeret,quam pecunia redimi posse putaret. Hoc esset casses captandæ pecuniæ tendere,non condere leges. Ideo autem non debuit ferri lex de continentia,aut districtissime præcipi. Nam & hoc duplex vinculum culpæ & pœnæ quamuis arctissimum adhuc temere dissolui experimur. Proinde spirituales audiendi sunt, cæteri vero negligendi,vti alio diximus loco. Cur non potius illi veniebat in mentem Vrbani secundi decretum in canone, Erubescant. xxxij.distinct. quo censet ac recenset iudicio sancti spiritus arcendos ab omni muliebri con-

ſortio ſacris ordinibus initiatos? Proſpiciebat vir ille integerrimus magno eccleſiæ commodo: ſciens ex vſu coniugij idem imminere, quo iam eccleſiam Græcam laborare videmus, periculũ. Receſsit enim à filia Sion omnis decor eius, & denigrata eſt ſuper carbones facies eius. Fallitur autem qui exiſtimat ignem igne extingui poſſe, cùm longè diuerſum ſit ſpiritualium virorum iudicium. In quibus eſt abbas Theonas collatione xxj.cap.xxxiij. Cuius ſententiam ſuper ea re ſubnectere libet, vt collatis vtrinq; ſignis videamus quantum interſit inter carnale ac ſpirituale iudicium. Non poteſt, inquit ille, aut vetita concupiſcere, aut imperata contemnere: cuius totum ſtudium, totumque deſiderium, diuino amori ſemper intentum, vſque adeo vilium rerum oblectatione non capitur, vt etiam his, quæ conceſſa ſunt, non vtatur. In lege autem, in qua coniugiorum iura ſeruantur, quanuis cohibita luxuriæ euagatio vni tantum fœminæ mancipetur: tamen nequaquam poſſunt carnalis concupiſcentiæ aculei non vigere. Et difficile eſt, vt ignis, cui etiam ſtudioſe pabula ſuggeruntur, ita præfixis terminis includatur, vt non etiam extra euagatus comburat quicquid attigerit. Cui etiam ſi ſua illa ita ſemper occurrat obiectio, vt exæſtuare extrinſecus non ſinatur: tamen etiam dum cohibetur, incendit: quia voluptas ipſa culpabilis eſt, & ad velociſsimos adulteriorum raptatur exceſſus conſuetudo concubitus. Cæterùm quos gratia ſaluatoris ſancto incorruptionis amore flãmauerit, ita omnes carnalium deſyderiorum ſpinas dominicæ charitatis igne cõſumunt: vt nec tepẽs fauilla vitiorum refrigerium integritatis imminuat, Legis ergo famuli à licitorum vſu ad illicita prolabuntur: gratiæ participes dum licita contemnunt, illicita non nouerunt. Hæc ille.

Proinde qui cœlibatui auerſionis ac diſſuaſionis nubẽ offundunt, ſibi cauere debent ab infelici quopiam ſucceſſu iræ diuinæ eorum ceruicibus imminentis, qui à melioribus auertunt incautos. Ne prohibeas, ait Sapiens, aliis bene facere: ſed ſi vales, ipſe bene fac. Scribit enim Baptiſta Fulgoſius de ſpreta religione huiuſmodi facinus in Vitiza Gotthorum Rege fuiſſe acerrimè caſtigatum. Qui cùm ſacris eccleſiæ decretis obuius ire pergeret, ſuæ

ditionis sacerdotibus non coniugia modo inducens, sed & polygamiam suadens, non multo post id sceleris diuina sequuta est vltio. Nam prælio victus, & à Rhoderico interceptus, orbatúsque luminibus, quod reliquum erat vitæ, tetro inclusus carcere infelicissime peregit. Ea nimirum sunt contemptæ religionis præmia.

Nec reticebo eiusdem abbatis Siculi sententiam minus caute prolatam in cap. Cùm in cunctis: de elect. vel ob id maxime quod ad Diui Pauli virginitatem attinet, & continentiæ nitorem, dum ait, Paulus fuit fortior Eustochio, qui fuit virgo: & licet fuit fortior, tamen non potuit resistere stimulo carnis. Illud mihi probatur, quòd virginem Paulum appellet, vt res est. Illud tamen falsum est, quòd non potuerit resistere stimulo carnis. Restitit enim, cui dictum est, Virtus in infirmitate perficitur. Non caruit stimulo, verum non defuit resistentia: imo certamen forte dedit illi dominus, sed vt vinceret. Nam vt beatus Pater Theonas ait collatione vigesimatertia, cap. decimoquinto, Si crimen subesset, non diceret Apostolus Paulus, Infelix ego homo: sed, Impurus aut scelestus ego homo. Nec, De corpore mortis huius: hoc est, de conditione mortali: sed, A flagitiis atque criminibus carnis huius vellet absolui. Infelicem ergo potius se vocat, quàm nocentem. Atqui nocens esset, si stimulis carnis non resisteret. Quare merito quis desyderet in huiusmodi rebus iudicium paulo spiritualius in eo, qui in cæteris censetur oculatissimus. Quod minime dicerem, nisi quatenus facit ad causam cœlibatus tuendam: neve quispiam tanti viri authoritate fallatur.

Sed illis in mentem venit, quæ nunquam non suauiter arridet, vetus illa cantio, Crescite, & multiplicamini, & replete terram. Qua ratione efficerent omnes vinculo coniugali obnoxios, pariq́ue opera damnarent omnes ad vnum quotquot cœlibatum, nuptiali posthabito thalamo, coluerunt. Verum in quas, quæso, blasphemias seipsos retrudunt: qui omnes cœlibes à Christo domino vsque ad nouissimum continentem sua impia sententia damnant? Damnant autem, si existimant huius-

modi præceptum, Crescite, & multiplicamini, & replete terram, ad singulos pertinere. Quare aut se blasphemos agnoscant, aut nobiscum consentiant huiusmodi præceptum, quod aliquando omnes percellebat & singulos, vtpote statim post homines natos, donec amplius terra habitaretur: nunc tantum pertinere ad vniuersos, vt non liceat vniuerso humano generi in totum abstinere à coniugio: tametsi nemo ex eis priuatim huiusmodi obligatione ligetur, vt nihil timendum sit sacerdotibus, quo minus incolumi præcepto cœlibatum colere posint. Verum qua ratione istud intelligi posit, hac similitudine clarius euadet. Iubet Imperator exercitus vni cohorti aut centuriæ tota nocte vigiliis nocturnis insistere. Hoc mandatum non afficit singulos. Satis enim erit, si qui designentur, qui totius nomine cohortis mandato parentes excubias seruent, cæterosque ab huiusmodi onere liberent. Sic in re nostra non desunt, qui iubentis imperio abunde satisfacere posint: vt est tota laicorum, & ea quidem non infima, turba. Quare desinant trepidare timore, vbi nullus timor: sed deum potius inuocent, vt eius numine & afflatu ex professo inchoatam continentiam ad felicem salutis portum perducere queant.

Quid si etiam dicamus non esse de mente imperantis, vt vis obligandi perseueret, si iam finem quis adeptus est, propter quem lex ferebatur? Vt si quis famulo imperet, quòd constrato & conscenso equo quempiam ad se vocet, eúmque protinus adesse iubeat in remotis agentem: iam si forte is, qui inuitandus erat, præsens adfuerit, tunc cessat obligatio illuc pergendi. Adepto enim fine, cessat labor operis. Non disimile est quod hic agitur. Dominus enim iubet terram repleri. Quòd si (vt res habet) repleta est etiam vsque ad nauseam, adeo vt vix aut ferre, aut alere posit suos habitatores: iam quis dubitet vim cessare mandati? Vt si ita dicam, Iubet Christus Dominus caput vngi, faciem lauari, vt maxime inuigilemus, ne videamur hominibus ieiunantes. Iam si apud aliquem cessat huius periculum ambitionis, nihil certe opus erit, aut vt caput vngat, aut faciẽ lauet. Sed quid in re aperta diutius immoramur, cum constet ex Paulo hu-

iusmodi præceptum nō attingere singulos,qui ait, Bonum esse cæteris,si permaneāt,sicut & ipse. Adde & illud ex eodem,Qui nubit,bene facit:qui non nubit,melius facit. Quod nullatenus diceret,si istud diuino repugnaret præcepto.

Sunt qui ita cauillantur : Quicunque sacerdotio vult annexum esse cœlibatum,efficit, vt duo inter se sacramēta pugnare videantur,nempe sacerdotium,& matrimonium: quum nullus vtriusque capax præsertim in ecclesia Latina esse possit. Ad quod respondendum , quòd viduitas & virginitas virtutes sunt , quæ tamen simul in eodem minime consistere possunt. Et vbi crumena argento turgeat , simul aurum non recipit : non tamen inter se pugnant aurum & argentū,vt nec aqua aquæ cōtraria est : quæ subintrare nō potest,vase iam interius repleto . Nec stellæ apparent , vbi sol illuxerit:ita nec coniugio locus est, vbi affulserit sacerdotium: Vel ob id vnum , quòd vnus vtrique sufficere non potest,quum alterum totum exigat hominem. Non igitur contrarietas in caussa est,verum potius vnius hominis incapacitas. Angustū enim est stratū,ita vt alterum decidat,pallium breue vtrunque operire non potest.

Ad hæc obstrepunt Paulum sibi cauisse, ne cuiquam laqueū iduceret,si diu separatim viuerent vir & vxor. Proinde cautius agendum censent,ne cœlibatus in multitudinem diffusus det occasionem ruinæ. Verū ad id plerunque dictum est,quod per se sanctum & iustum est,vtile & honestum,nemini causam esse ruinę. Quæ si successerit,ex hominis potius lasciuia incuriáve procedit,quàm ex ipsa lege cōtinentiæ. Porro diu[9] Paulus vbi de laqueo loquitur,ad eos sua verba conuertit,qui vinculo maritali sunt alligati: ne scilicet denegata alterutri partium beneuolentia,alteram,cui denegatur,ad incontinentiam inducat. Iam istud cessat in sacerdote,qui nulli sui corporis fecit potestatem. Quòd autem de coniugatis loqueretur Paulus, verba sequentia docent,Iterum reuertimini in idipsum,ne tentet vos satanas, propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundū indulgentiam,non secundum imperium . Vides vt Paulus etiam apud coniugatos indulgeat potius , quàm consulat, copulę carnalis vsū? Alioq di cturus his,qui voto adstrinxe

runt. Vnusquisque in ea vocatione, in qua vocatus est in ea permaneat: Aut certe quod alio loco dicit: Accipite armaturam dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli, & cuncta inimici tela ignea extinguere. Iam si occasio ruinę, aut laquei vndecunque imminens auocare debeat hominem à statu sacerdotali, idem quoque de thori maritalis conditione dicendum erit. Imminent enim coniugio sua pericula, adeo nihil est à periculo immune, quocunque te vertas. Hinc Psalmista ait, In via hac qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi. Nam & aduersarius noster circũit, quęrens quem deuoret. Cui, inquit Petrus, resistite fortes in bello. Cęterum qui timet ventos, nunquam seminat: qui cõsiderat nubes, non metet. Nos igitur reddant circumfusa pericula cautiores ad effugiendum, & ad resistendum audentiores.

Demum cùm neruosa demonstratione nihil efficere possit nuptiatorum calumnia: quod quidam magni alioqui nominis persuadere non valent, rhetoricando (qua pollent arte) suadere conantur: vt quum euertere non possint cœlibatum, saltem nutare faciant in mentibus hominum, suis declamationibus à continentiæ puritate leuissimos quosque absterrentes. Egregium scilicet eloquentiæ margaritũ in lutum proijcientes: hoc certe digni elogio, Sicut annulus aureus in naribus suis, sic mulier pulchra & fatua. Hęc, inquam, Rhetoricis adornata flosculis eloquentia. Qui lõge felicius collocare suam artem debuerant, qua vsque ad miraculum pollent in continentiæ laudibus: quàm ad depingendam lasciuiæ speciem, cuius effigies vix secus, quàm pererrorũ lineamenta queat adumbrari. Scrutãdum potius erat, si quid ad inuentas continentiæ laudes adiungi posset potius, quàm eius deturpare nitorem. Qua in re dum infeliciter laborant, seipsos, tametsi imprudentes & incauti sua arte deturpant & obscurant.

Vt quibus eloquii datur aurea vena poetæ,
Sed cadit in sordes, inficiturq; luto.

Ia quãdo in eo parũ felici argumento rhetoricari libuit. obuiandum est, prouidendumque pusillorum saluti: ne stare videamur iuxta sanguinem proximi nostri. Aiunt continentiam hanc perpetuam more Gigantum naturæ bellum

indicere:quasi vero non hoc vehementer in mandatis reliquerit & Christus,& Paulus. Christus dum ait:Si quis vult venire post me,abneget semetipsum. Et illud, Qui amat animam suam,perdet eam :& qui odit animam suam in hoc mundo,in vitam æternam custodit eam. Item , Nisi granũ frumenti cadens in terram mortuum fuerit,ipsum solũ manet. Si autem mortuum fuerit,multum fructum affert. Quid autem apertius eo,quod dominus ait : Qui non relinquit domũ,aut patrem,aut matrem,aut vxorem propter me:non est me dignus. Qui ductã vxorẽ relinquere mandat,quid de vxore ducenda dicturus sit, apud se recogitet nuptiarius præco ac patronus: & vtinam non antichristianus orator,qui absterret ab his, ad quæ Christus inuitat. An non huiusmodi est,qui à cœlibatu dehortatur his verbis, Tu vel me authore mentem istam mutabis,& cœlibatu relicto sterili,ac parum humano vitę instituto,sanctissimo coniugio indulgebis. Cui ex diametro aduersum se offert Paulus,qui ait: Tempus breue est, charissimi, vt qui habent vxores,sint tanquam nõ habentes: & qui possidẽt, sint tãquam non possidentes. Alio item loco in Corinthijs posteriore sexto, In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut dei ministros,in laboribus,in vigilijs,in ieiuniis, in castitate ,&c. Et tamen non desunt magni alioqui nominis viri,qui his sirenum cantibus sibi patiantur illudi. Qui si semel his incantamentis indormiant, plebs tota deinde sequetur. At vbi vulnus incruduerit,vix erit qui malagma apponat. Proinde me authore,aut(si admittere velint) consule,noxia huiusmodi incantationum venena procul à se amouenda curabunt:nisi seipsos vnà cum ouili credito citò perditos iri velint. Dominus hanc illis mentem perpetuò conseruandam tribuat.

Vt autem conceptum animo negociũ vno contextu prosequar,superesse mihi video telam quandam retexere variis errorum liciis operose magis quã religiose contextã: ne habeant, vnde gloriari possint hostes sacri cœlibatus, quin potius intelligant nihil à tergo fuisse relictum , quod non explosum fuerit atq; refutatum.

Coniecit in chaos quoddam apologeticum cauillos nõ paucos Bartholomęus cognomento Bernardus,Sambergẽ

ſis eccleſiæ(appellatione tenus)paſtor & rector,te ipſa prę do potius,ac præco nuptiarius, ſignorumq́; ſuorum deſertor perfidus. Quos omnes,ne forte cuiuis imponat incauto ſigillatim conterere libet, & cuique cataplaſma apponere vulneri: tametſi quæcunq; deliramenta profert ex his quæ ſuprà allata ſunt,abundè fuerint confutata. Orditur itaque ſuam telam aranearum texturæ ſimilem Bartholomæus ille Sambergenſis à vulgata illa ſacræ ſcripturæ pſeudographia: qui mos omnibus hæreticis peculiaris eſſe ſolet: Epicuri perſonam agens his verbis,

Ecce facti mei rationes,Nunquã damnauit aut lex,aut euangelium,nuptias:nec vlli ſtatui hominũ interdixit. Dictum enim eſt,Qui poteſt capere,capiat.

Ad id quidem reſponſum eſt nuptias non damnari eccleſiaſtico inſtituto. Non enim prohibetur nubere. Eſt tamen in libertate cuiuſuis ſitum , ex voto amplecti id quod prius erat liberum. Vouere conſilij eſt, reddere vero præcepti. Vt autem nemo fit clericus niſi volens, ſic inuito nemini interdicuntur nuptiæ : quare ſcienti ac volenti nõ fit iniuria neque dolus. Iam vbi eſt,qui de iniuria cõqueri poteſt ſuper vinculo cœlibatus ſponte recepto? Singuli ne ſpõte ſua vouentes? At volenti non fit iniuria. Status ne ac conditio clericalis? At nullus ſtatus iniuriam patitur,vbi null' in eo ſtatu iure conqueri poſſit. Nemini autem ſupereſt querelæ locus, qui ſua ſponte, nemine ad id compellente, iugum ſibi perpetui cœlibatus aſſumpſerit. Et hoc vnum abunde ſufficit ad obturandum os loquentium iniqua. Pergit nuptiator ſuam cauſam defendere,falſum(vt ſemper ſolet)aſſumens.

Qui poteſt capere,capiat. Hac voce meritò terreri debent,qui ſe promiſcuè addicunt cœlibatui:quoniam quando non omnium, ſed paucorum eſt donum perpetuæ continentiæ. Paulus velut exponens Chriſti ſententiam dicit, Vnuſquiſque proprium donum habet à Deo.

Reſponſio.

Vnde tu terrorem elicis,ſancti patres confidentiã promittunt,imo & Paulus docet fidendum eſſe. Nam perinde eſt iſtud, Qui poteſt capere capiat: atque ſi agnotheta inuitet ad præmium. Simile eſt illud ex Paulo, Qui in ſtadio

currunt, omnes quidem currũt, sed vnus accipit brauium. Sic currite, vt comprehendatis, Et methodum tradit ad id assequẽdũ, dicens, Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet. Illud quoque adiungens, Sic pugno, non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cùm alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Non sunt isthęc absterrentis, sed potius allicientis, & inuitantis, modumque tradentis, quo quis facile speratũ assequatur brauium. Hoc autem ex interpretatione sacrorum patrum suprà diffuse monstratum est. Sed quid facias præposteris istis ingenijs omnia in contrarium peruertentibus? Sequitur ex eodem.

Veretur Paulus, ne si exigat cœlibatum, laqueũ injiciat. Quomodo igitur Pontificum de cœlibatu traditiones vocabimus? Responsio.

Vocabimus certè sacras ac sinceras institutiones, vt quę ad puram ac sinceram contemplationem facilem aditũ pareant. Non enim exigunt à quopiã cœlibatum, quin omnes potius accedere volentes, vehementer exhortantur, vt diuinum implorent auxilium, secúmq; cogitent, quid ferre recusent, quid valeant humeri. Hoccine est laqueum injicere incautis?

Ad id vero, quòd sacrosanctam de cœlibatu legem ore impio animarũ laqueum appellare ausus est, hoc vno sibi responsum putet Sapientis oraculo, qui ait Ecclesiastes decimo, In via stultus ambulans, quũ ipse insipiens sit, omnes stultos existimat. Ita & qui ebrietate deliriòue laborat, ex se metiri solet cæteros.

Ad verba autem Pauli ad Timoth. Oportet episcopum esse vnius vxoris virum, scire debuit digamiam tantum illis verbis esse prohibitam, non iussas nuptias, alioqui peccassent Ioannes & Paulus apostolici viri toto suo æuo cœlibes & innupti,

Sed & falso impingit ecclesiæ, quòd suam legem sic exigat, vt malit violari diuinam, quàm suam institutionem perire. Quòd nunquam ecclesia vel de somnio cogitauit. Falsum enim est quod supponitur, quasi vero non sit medium inter nubere & vri. Iam enim docuimus omnibus viam esse apertã, ac medie temperatam, qua assequi possint, vt nec

vrantur nec nubant. Adde & illud ex Paulo, Eſca ventri, & venter eſcis: corpus autem non fornicationi, ſed domino.

Quod autem ſpeudographe Paulum inducit de his qui in ſpiritu mendacij prohibent nubere: Tatianos incuſet & Manichæos, qui nuptias vetant. Ab eo enim errore longiſſime abſunt eccleſiæ decreta. Non enim nubere vetat inuitum Paulus, qui ſuo quemque reliquit conſilio.

Paphnutii pro nuptijs clericorum interceſſio apud Nicenam ſynodum extra cauſam eſt. Illic enim agebatur de his, qui ex profeſſo coniugia cum ordine obſeruabant: hic autem de his agitur, qui cœlibatum profeſſi ſunt. Non enim æquum erat, vt ſupra quam profeſſi eſſent, obligarentur inuiti. Neque enim profeſſi erant cœlibatum. De quib⁹ auté pręſens ſermo eſt: in qua vocatione, vrgente nemine,, numinis fauore implorato vocati ſunt, æquiſſimum eſt, vt in ea permaneant.

Illud quoque minime ad rem facit, quòd ex Paulo citatur, Nolite fieri ſerui hominum. Nam hoc ſolum iubet Paulus, ne contra diuina mandata hominũ volũtati ſeruiam⁹.

De iuramenti præſtiti ratione nugatur, prætendens generale iuramentum non habere vim obligantem, aliâs omnia plena forent periurijs. Ignorat forſan id quod apud ſapientes tritum eſt, conſuetudinem contrariam eleuare & extenuare vinculum iuramenti. At de vxore ducenda in ſacris ordinibus, nulla in orbe Chriſtiano apud Latinos eſt quæſtio, quanto minus conſuetudo. Vides, vt non curet quid dicat, tantum laborat vt dicat.

Vt autem demus vim obligationis in vniuerſali iuramento pendere ab vſu, & conſuetudine moribus vtentium approbata, nemo tamen ignorat hanc voti materiam ita eſſe indiſſolubilem, vt nullus in contrariũ vſus hactenus admiſſus ſit: imo, vt alio oſtendimus loco, nec ipſa pontificis recipienda ſit diſpenſatio. Fruſtra autem vim obligationis eneruare contendit caſu aliquo neceſſitatis, cum nulla poſſimus impelli neceſſitate ad huius voti ſolennis diſruptionem. Verum hoc addit,

Quid ſi iuratum eſt cum particula, quatenus humana fragilitas permittit? Eſto. Humanæ certe fragilitati ſubueniri poteſt ieiunio, eleemoſyna & oratione. Nam & do-

m

minus faciet in tentatione prouentũ, vt possimus sustinere.

Sed iuratum est, inquit, tantisper cœlibem fore, dum patitur imbecillitas carnis, qua tamen nihil infirmius.

Verũ non attẽdit quod diuus Paul' ait, Omnia possum in eo, qui me cõfortat Christus. Et illud, Sufficiẽtia nostra ex deo est, qui nõ sinit nos tentari vltra id quod possumus.

Addit, Iuratum conceptis verbis cœlibatum rescindendum fore. Quasi scilicet nemo possit amoliri instans periculum. Quod plane falsum ex suprà dictis ostensũ est vno omnium sacrorum interpretum consensu.

Dum autem subiungit, se continere non posse. Plane mẽtitur iniquitas sibi. Qui enim indiget, postulet à deo, qui dat affluenter, & non improperat.

Minusq́ue audiendus est in hoc quod ait, Iuramenta de cœlibatu esse incauta, vt quæ sine atrocissimis peccatis præstari minime possint. Hoc enim si verum sit, damnabimus impietatis omnes huius ordinis professores, quum Sapiens dicat, Qui amat periculum, peribit in illo. Verum impudentissimus iste est, qui cæteros sua mensura metiendos censet, qui quum in sordibus sit, alios ad volutabrum luti, ne solus sordescere videatur, inuitat: vt de Gryllo apud Vlyxẽ Circes carminib' in suem mutato Poetę fabulatur.

Quod autem nugatur de impuberum cœlibatu, aut incauto minúsue prudenti iuramento, hæc omnia excluduntur. Nemo enim est ad cœlibatum imprudens, modò cætera adsint, quæ iure cauentur. Cæterum non recipitur, qui allegat simulatè iuratum fuisse cœlibatum, quum nemo ad id cogatur. Quin potius minimè creditur neganti, qui non vult, quod sibi credatur affirmanti.

Mentitur autem Diomedeam necessitatem ad votum deserendum, qui quoties velit implorare à domino perseuerandi gratiam, præsentaneum sibi non defuturum sentiet auxilium. Omnis qui petit, accipit, qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur: nisi de eorũ numero esse malit, quos Psalmista insectatur his verbis, Deum non inuocauerunt: illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor. Secum potius cogitet galeatum sero pœnitere duelli: & quomodo cœptum potius peragat iter, quàm quòd manum mittẽs ad aratrũ, respiciat retrò: & domin' illi pręsto aderit inuocat'

Pater enim est misericordiarũ, & de⁹ totius consolationis, qui cõsolatur nos in omni tribulatiõe nostra. Hęc ad omnia desertoris nostri nugamenta satisfactionis vice dicta sint.

Nouissimum hoc demum specie quadam recti velatũ patrocinium quærunt prætextu vulgatæ sententiæ, quæ est in capite, Si vero aliquis. de iureiurando. Tantisper seruandum esse iuramentũ, donec vergat in deteriorem animæ exitũ: alias cedere debet occurrenti necessitati. Aiunt autem fieri posse: vt æstus carnis solo coniugio temperari possit. Quod nisi accesserit, imminet præsentissimus lapsus. Quo casu, si non propria authoritate, interueniente saltem dispensatione ab eo qui potest, cessare videtur obligatio voti. Nam si soluto melius est nubere quàm vri ex diui Pauli sententia: & eadem necessitas accidere potest ei, qui voto adstringitur: cur non eadem necessitas pariet voti dissolutionem? Verum hoc est ad eundem semper offendere lapidem, quasi vero non sit inter nubere & vri medium, ac verum accedente tẽtatione remedium: si modo à deo ea, qua decet, modestia & constantia requiratur. Iam ergo nihil opus relaxatione voti, vbi præsens est subsidium, quod oratione promptissime impetrari potest.

Verumtandem per occasionem huc deuecti sumus, vt inuestigandum sit, an votum continentię aliquam dispẽsationem admittat, siue prætextu priuatæ necessitatis, seu etiam publicæ vtilitatis. Qua de re vberius disserẽdum est eo, qui proxime sequitur, tomo.

TOMVS QVARTVS.

Votũ castitatis solẽne nulla ex caussa dispẽsationem in se recipe, quæ ius seu obligationẽ ppetuò relaxet.

Præfatum primum.



E Dispẽsandi facultate in votis, quod vero maximè consentaneum videbitur, dicturo, ne cui in foribus aberrandi detur occasio, illud prefari visum est, Quòd si agitur de dispensatiõe, quæ ius interpretetur ambiguũ, nemini dubium, quin circa genus o-

mine voti cadat dispensatio, nõ dico iuris relaxatiua, sed tã tum interpretatiua. Quæ tum demum locum habet, quoties dubitatur, an conceptum aut pronunciatum votum ratione voluntarij de integro sortiatur, quam aut metus, aut interueniens dolus, aut certe rei, de qua agitur, ignorantia arrodit, aut detruncat, aut in totum adimit. Eo casu locũ habet iuris interpretatio, cũ scilicet declaratur ob admixtum inuoluntariũ non esse completã voti rationem, ideoq; cum eo dispensatur, qui votũ emisit. ita tamẽ, vt obligatio integra voti perfecti non relaxetur. Eo enim casu nec votũ est consummatũ, nec obligatio integra. Idẽ censendũ est, quoties materia voti in ambiguo est. Vt si dubiũ sit, an id quod promittitur, licitum fuerit nec ne, an forte succedẽte euentu, ex licito transierit in illicitum: Re ita in ambiguo existente, locus est dispensationi, quæ ius interpretur. In summa negari non potest, quoties de iure obligandi meritò dubitatur, in quocunq; genere voti locum habere dispẽsationẽ iuris non tam relaxatiuam q̃ interpretatiuam. Relaxatiuam dico, quæ absoluit à debito. vbi citra omne ambiguũ constat integram & consummatã præcessisse obligationẽ. Et hanc dicimus non habere locũ in votis. Quod quidem ex his quæ sequuntur, notius euadet.

Præfatum alterum.

Recipiendã insuper censemus, vt certe negari non potest, in voto simplici vinculi dissolutionem, nõ quidem vi dispensationis apud eũ qui præest, sed ipso iure naturæ. Id enim à natura comparatum, mentibúsque insitũ humanis, q promissio primum facta, citra tamẽ rei promissæ traditionem cedit posteriori: dum tamen accesserit ipsi9 rei traditio. Et ob eam causam votum simplex cedit matrimonio. Nam vnà cum coniugali contractu fit corporum traditio. Siquidem tum demum possessio acquiritur, dum res promissa consignatur. Ab hoc fonte effluit ratio decreti ecclesiastici, quo cauetur dissolui matrimoniũ nondum consummatum per religionis ingressum, quia ante consummationem nondum traditio facta est, quæ in voto solenni consummatur. Hinc etiam oritur ius illud, quo decernitur reum fracti voti non haberi, qui quod vouit, in religionis institutum commutat. Nam in voto solenni rei

traditæ susceptio sit, quæ abest à voto simplici. Inde etiam tertio sequitur, quod post initũ solenne votũ, coniugale fœdus attentatum nullũ est: secus autem si attentetur post votum simplex, hoc enim est, quod passim circunfertur ab eruditis rei theologicæ professoribus, ꝙ votum simplex impedit matrimoniũ contrahendum: contractum tamen non dirimit, cum vtrumq; faciat votum solenne. Alioqui consistere minime potest, ꝙ votum solenne dirimere queat legitimè prius emissa vota, & quæ posterius sequi possent irritare, nisi vim suam obtineret à iure diuino. Oportet enim diuinitus probari votũ perpetuæ obœdientię, si tantum habeat virium, vt dirimat obligationem votorum omnium legitimè antea contractorum. Est igitur votum solenne diuinitus institutum plus roboris habẽs, quàm votum simplex. Quod vnum maximè confutat errorem existimantium voto solenni nihil accedere supra votum simplex, nisi quòd iuris humani naturam sapiat. Nemo enim dixerit facultatem humanam posse derogari obligationi diuinæ, quæ voto simplici cohæret. Neque enim ius quæsitum prælato erga sibi subditum cœnobitam tollere posset deo iam quæsitam, voti simplicis obligationem, futurique contrahendi facultatem, nisi de consensu tertij, cui iam ius quæsitum est. Quòd ergo votum solenne simplici præiudicet, hoc diuinæ institutioni tribuendum est, quam conceptis verbis pendere diximus ex oraculo diuino, Leuitici vltimo. De anathemate mortis quod redimi non posse, verum ad mortem vsque perdurare, perspicuè eo loco traditur. De simplici autem constat, quòd matrimonio subsequente derimitur, secꝰ de solenni. Plus igitur roboris inest deo ipso authore solenni voto quàm simplici. Horum omnium quæ diximus, vna radix est rei traditio, à qua pendet solidum possessoris dominiũ, vt iã transferri in aliũ nõ possit: nisi de conniuentia, imo (vt verius dicam) solido cõsẽsu possessoris. Vt ergo cœptũ perficiamus iter, coniugalis copula sequens votũ simplex, ipsius vinculũ dissoluit, non ex cuiusuis dispensatione, cũ nulla interuenerit rei huiꝰ cõscia authoritas, aut voluntas, verũ ex iure gentiũ, & naturali omniũ consẽsu recepto. Quo fit, vt in possessione & rei traditione acquiratur dominium. Quo semel habito, iure fieri non potest, vt

quiuis aut pōtifex, aut princeps rei possessæ dominiũ transferat, nisi interueniente ipsius consensu, aliâs rapina furtúmve committeretur auferendo rem alienã inuito domino, nisi forte ex culpa re sua priuari mœreatur. Ex hoc inelu&abili fundamento pendet ea, quam venamur, indispensabilitas circa solenne votum. Huius gratia eam, quæ mox sequitur, proponimus adsertionem.

Adsertio de voto solenni quod sit indispensabile.

CVM rei per traditionē possessionḗq; adeptę dominiũ nulla authoritate externa citra domini cōsensũ trãsferri possit: cũq; nullus alius traditionis modus appareat, dũ quis ppetuæ seipsum continentiæ deuouet, q̃ per solēne votũ seu religiōis, seu ordinis sacri, vt iura omnia vno consensu prędicant. Et de sacro quidē ordine sese offerunt luculentissimi canones 84. distin. Cũ in præterito. Itemq; 28. capite Diaconi. accedente etiã cap. Quod votũ, de voto & voti redēp. in sexto. adie&a etiã Extrauagãte. Antiquæ concertationi. eod. tit. Quo loco plane fallitur glossematari⁹ ꝓ vera caussa supposititiã ꝓferens. Miratur enim, quomodo tanti esse possit voti in ordine solennitas humanitus (vt ait) adinuenta, vt succedens coniugiũ, & ipsum quidem cœlitus institutũ, dirimere possit. Sed fallaciã patitur, quam appellant, non causę vt causæ. Non enim hoc efficit cęremonia voti, sed vera possessio adepta, ac per rei traditionē cōparata. Quæ iure diuino, gentiũ & naturali, dominiũ tribuit prorsus inauferibile: dum suscipiens ordinē, eo signo se deuouet perpetuæ continentiæ, ac sui iuris esse desinit: adeo, vt alteri per coniugiũ attentata traditio nihil efficere possit. Idemq; de voto religionis dicendum est. Iam si quis rem alterius per dominũ translatam citra recipiētis consēsum auellere nititur, & aliò transmittere, quid aliud q̃ rem alienam aufert inuito domino? Id quod iure diuino omnino prohibetur. Quo fit, vt ne summus quidem pontifex, quanta maxime polleat authoritate, deuotũ deo aut sacerdotem, aut monachum post voti solennis traditionem, religione soluere possit, nisi appareat de eorũ consensu, quibus se deuouit, vti nec priuatam supelle&ilem citra possidentis consensum in aliũ trãsferre. Hoc enim esset auferre alienũ inuito domino. Quod cum minime valeat in re temporali,

quomodo id iure poterit in ſpiritualibus bonis? Et ſi transferre nô poteſt ſubditi bona Chriſtiani, quomodo dei omnipotentis ſolenniter quæſitum peculium ſuo iure, non expectato diuino conſenſu, transferre poterit? Iam quæ in côtrarium proferri ſolent argutię, tanquam fumus euaneſcât. Solennitas (inquiũt) voti humanitus eſt inſtituta, quocirca à ſummo pôtifice dirimi poteſt, cuius nutui & arbitrio ſubſunt omnia humana decreta. Ad quod prompta eſt reſponſio, Quòd quanuis modus traditionis, ſeu ſignum adeptæ poſſeſsionis, mutari poſſit, dominium tamen ſemel quæſitum eſt de iure diuino, & naturæ: quod nullatenus auferri poteſt, niſi conſentiente domino. Nihil enim moror, quo ſigno acquiratur poſſeſſio, modò dominiũ acquiſitum domino inconcuſſum permaneat. Cum enim equi traditio ex vſu publico tum demum locum habeat, ſi per frenum exhibetur equus, poterit, ſi volet vſus, exhibitio huiuſmodi fieri per ephippium. Verum ſignis mutatis res immota manet, nempe inauferibile dominium. Ex hac vna reſpôſione vno impetu côteritur argutiarum turba, quæ voti ſolennis vinculum nititur diſſoluere. Quale iſtud eſt, Sacerdos poteſt vti matrimonio contracto, fieri ergo poterit, ſaltem ſummæ poteſtatis acceſſu & cônſenſu, vt vti poſsit contrahendo. Nam cœlibatus prior & poſterior non niſi tempore differunt. Verum hic ſubeſt fallacia, qua vnum pro alio ſumitur, videlicet non cauſa pro cauſa. Non enim refert quid præcedat, quídve ſequatur, verum hoc potius conſyderandum eſt, quòd dum coniugatus ad ſacerdotium recipitur, non ſe deuouet perpetuæ continentiæ, cum illud non poſſit, vtpote qui credebat vxorem defunctam. factus deinde ſacerdos eam experitur viuam. Neq; enim deo auferre poteſt, niſi quod in ſua eſt poteſtate. At qui liber à coniugio ſacris ſeſe deuouet ordinibus, ſuum corpus perpetuæ tradit continentiæ, cuius dominum deum poſſeſſorem conſtituit: ea inquam deuotione, quæ dicitur anathema mortis, de qua ſuo dicetur loco. Cum igitur adepta poſſeſsio dominium transferat, idque inauferibile, niſi conniuente domino, & tam in ordine ſacro quàm in ſtatu monaſtico, ſolennis traditio fiat, idem cenſendũ eſt de indiſpenſabilitate circa ordinem ſacrum, & ſtatum monaſticum. Nec valet

quod obiiciunt, qui diui Thomæ placita sequuntur, dicentes ordinem sacrum iuris esse positiui, monasticum autem ad ius pertinere diuinum. Hoc inquam refutatum est ex dictis. Nam quanuis signa traditionis in vsum sacrum vtrinque humana sint, possessio tamen adepta est iuris naturalis & diuini. Vti enim modus contrahendi per formulas diplomatum humanitus instituitur: contractus tamen ac promissio iuramento vallata suum robur habet ex iure diuino & naturali, quod dirimi non possit, nisi de consensu domini. Ita eadem est possidendi ratio in ordine sacro, & statu monastico.

Tertium Præfatum.

EX his omnino principiis facile est discernere quàm varia sit dispensandi facultas in solenni & simplici voto, quando (vt mox declaratum est) in voto solenni traditio corporis ad sacros vsus perpetui cœlibatus, efficit, v res oblata transferri non possit, seu obligatio relaxari in præiudicium domini. Atqui in voto simplici seruandæ perpetuo continentiæ nondum transfertur dominium quo ad illum vsum irreuocabile. Nam reuocari potest, si post votum simplex contrahatur matrimonium, cum votum simplex non dirimat coniugium post contractum. Loquor autem de dominio quo ad illum vsum & modum, (Nam semper domini est terra, & plenitudo eius) sed nondum censetur habere dominiũ quo ad hunc vsum & modũ irreuocabile, nisi celebrata prius traditione. Quare videtur posse relaxari huiusmodi continentiam citra præiudicium tertii in simplici potius, quàm in solenni voto. Quod vtique verum esset vbi forte accideret rationabilis priuata necessitas, aut vrgentissima publica vtilitas, quibus cessantibus, dissipatio foret, non dispensatio. Nunc ergo excutiendum est vtrunque.

Primum quidem, quod ad priuatam attinet necessitatem, si quis ea, quæ prædiximus, gustata probè concoxerit: planè intelliget esse medium inter nubere & vri, nempe orationis suffragium, quo accedente, agnoscet, qui tentatur, fidelem esse dominum, qui non sinet nos tentari vltra id, quod possumus, continuo affuturũ in tentatione proué-

tum, vt possimus sustinere. Cessat igitur ea parte priuata contrahendi nubendíve necessitas. Cessabit igitur relaxãdi dispensandíve ratio.

Quod autem ad publicam pertinet vtilitatem, vt si forte inimineret regni alicuius dispẽdium Christiani, nisi adsit præsens nuptiale remedium, vbi solum superstes maneret ex tota regia sobole vnus voto perpetuæ continentiæ innodatus; iam videtur publica necessitas exigere, vt pro publica tranquilitate paranda, ac sedando in populo futuro tumultu, soluto continentiæ repagulo soboli procreandæ vacet. Verum ad id prompta est responsio, Quòd is cui æquale est saluare in paucis & in multis, sicut non deest necessitati priuatæ, ita nec publicæ deerit inuocatus. Quis enim scit, quòd futura sit ex contractu illo soboles, aut eam non præmaturè interituram? Quòd si superuixerit, magno forte regnatura est totius Reipublicæ incommodo, ita vt omnia prius toleranda fuerint, quàm dirum ac durum succrescentis inde sobolis imperium. Id quod docuit frequens historiarum lectio in prole post irritam continentiæ fidem suscepta, vt suo dissere-tur loco. Quare nondum apparet quænam sit illa aut priuata, aut publica necessitas, cui continentiæ perpetuæ vinculum ita cedere oporteat, vt relaxatione opus sit. Manet igitur inconcussum, quòd neque in voto solenni, sed neque in simplici, supersit vlla dispensationis, quæ ius in totum relaxet, iusta ac salutaris occasio. tametsi detur interpretationi locus, vbi non subest plena ratio voti. In forma quidem, vbi aliquid abest de voluntario, in materia autem, cum votum fertur super re inutili aut impediente maius bonum. Id tamen non negauerim, quòd si in voto simplici attentet pontifex dispensare, & consentiat dispensatus, cum nulli fiat iniuria tertio, quæ modo id quod est alienum, auferat, sequens est, vt de facto validum sit, etsi culpa non careat initum coniugium. Quod minime locum haberet in voto solenni. Nusquam ergo culpa vacat post votum attentatum coniugium, tametsi cõtractum post voti simplicis emissionem viribus subsistat. Si cui hæc, quæ adstruimus, fidem non fecerint, superest, vt rationes propositas dissoluat, & inelu ctabiles in contrariũ

proferat. Quod si fiat, facile cedemus arena.

Quin potius aduersus eos, qui contra sentiunt, vibrabimus telum propria ipsorum officina & incude percussum: quod emissum proprio vix clypeo elidere possint ac propulsare, tametsi dissolutum putet ac retusum D. cardinalis à Turre cremata super cap. de illo clerico. distinct. xxxij. Si pontifex (vt aiunt) summo iure possit in totum monachum exautorare, & exautorato concedere vt euolet ad nuptias, soluto continentiæ vinculo. Esto, exempli gratia, quispiam, qui post consummatum cum vera vxore coniugium, ipsa etiam consentiente, ac solenniter continentiam profitente, sese religioni deuoueat: iam fieri potest (vt videri volunt) quòd accidat casus pro totius Reipublicæ vsu ac salute, vt iste religionem professus, vinculo tandem solutus vxorem ducere possit. Quod si admittant, vtique impingent in ius diuinum, quo cauetur vxorem à viro non debere discedere, & contra virum ab vxore, quòd si discesserit, manere innuptam. Nam qui, priore viuente, aliam duxerit, mœchatur: imò vt est in capite Gaudemus, de diuortiis, nulli vnquam licuit simul plures vxores habere, nisi cui fuit diuina reuelatione concessum. Quòd si quis priorem vxorem esse neget, certè vxore dimissa superstite duci alia de iure non potest, vt eo loco ex intentione scripturę Innocentius docet. Cui consentit Augustinus libro de bono coniugali cap. xviii. ita dicens, A viro viuo in alterius transire connubium nec in veteri licuit, nec nunc licet, nec vnquam licebit. Quòd si eo casu nullum perfugium se offert, quo iste euolare posse dicatur ad alias nuptias, sequens est, vt huiusmodi negocium diuino committatur arbitrio quam in huiusmodi rebus sacram statuimus anchoram. Expetendus igitur est & expectandus diuini numinis afflatus potius, quàm religione soluatur, qui suam continentiam deo solenniter dicauit. Id quod persuasum esse volumus.

At forsan nitentur euadere dicentes supradicta locum tantum habere in matrimonio nondum consummato, cuius vniculum religionis ingressu dissolutum existimant. Hoc autem in matrimonio consummato negabunt. Constat (nihilominus matrimonii vinculũ pręsentibus ver-

bis de pręſenti ſtabilitũ, iure diuino eſſe indiſſolubile. Deus enim ante conſummatum matrimonium inter Adam & Euam ita pronunciauit, Quos deus coniunxit, homo non ſeparet. Quare ſi vinculum conſummatum voto non diſſoluitur, neque etiam diſſoluetur coniugium verbis præſentibus conceptum & ſtabilitum: Sicque præcedens quæſtio recurrit. Eadémque redibit ratio vti in conſummato coniugio.

Iam ſi hoc præcipitur in eccleſia dei, vt religioſus aliâs coniugatus quacunque ex cauſa priore ſuperſtite aliam ſuperinducat vxorem, idem quoque de tertia & quarta admittendum erit, vtpote ſi poſt ſuſceptam prolem vtraque partium ad religionem recurrat, & denuo ſimili redeunte caſu, ac neceſſitate vrgente, vacandum ſit generationi etiam poſt ſecundò ſuſceptum religionis inſtitutum. Quin pari ratione ſequetur iure admitti poſſe, quòd mulier tres habeat viros ſuperſtites, & vir tres vxores. Quod nunquam fando auditum eſt, ſed nec cogitatum quidem. Hinc videre potes, quomodo ex hac vna relaxandi facilitate immenſum offendiculorum pelagus protinus orietur. Extinguenda potius eſt à primo ortu laxa nimium facilitas, ne ſcintilla creſcat in flammam, néve huiuſmodi exundans licentia totam culturæ eccleſiaſticæ faciem proterat ac laniet. Nam qui parua negligit, paulatim decidet, & ex modico ac primum vadabili fonte immenſa prodeunt flumina, quæ etiam vix nauigio ſuperari poſſunt.

Præter hæc iſtud quoque ſequitur incõmodum. Quòd cum voto omnia vno religionis inſtituto abſorbeantur, vt eſt in cap. Scripturæ. de vot. & voti redempt. Reus fracti voti non habetur, qui temporale obſequium in perpetuam noſcitur religionis obſeruantiam commutare, ſequens inde eſt quòd quoties pontifex ſummus quempiã eximeret à monachatu, ſimul ab omnium votorũ prius emiſſorum vinculis diſſolueret. Quod minus æquũ videtur, cũ videatur priorum votorum obligatio reuiuiſcere. Quibus adimplẽdis cẽſetur idoneus priſtinę reſtitutus libertati, vtpote de monacho factus nõ monachus, reſumpta priorũ votorũ implẽdorum facultate. Qui igitur omnia vota in vnum religionis

institutum cõmutanda censuerũt:quid aliud existimabãt,q̃ ꝙ perpetuo vinculo foret innodatus, omni spe dissolutionis adẽpta,qui semel in religionis verba iurasset? Ita enim canon vocat perpetuã religionis obseruãtiam. Alioqui nemo dixerit cętera quanuis ingentia vota, quibus nulla subest dissolutionis ratio, vno alio permutari posse: quod & ipsum dissolubile censeatur. Præstiterit ergo dicere nullam subesse dispensandi facultatem in voto solenni.

Iam ne huic causæ aliqua ex parte defuisse videamur, scrutandum est ex ipsis sacræ scripturæ fontibus quid pro continentiæ indissolubili vinculo ex certo & liquido hauriri possit. Cuius negocij magna pars pẽdet ex eo quod scribitur Leuitici 27. Id quod diuus Thomas subtili, vt in omnibus pollet ingenio, sagacissime deprehendit. Textus sic habet, Omne quod domino consecratur, siue homo fuerit, siue animal, siue ager, non veniet, nec redimi poterit. Quẽ locũ sic interpretantur ad Hebraicã phrasin nõnulli, Nullum anathema, quod homo à se abdicauerit, & domino deuouerit, ex omnibus quæ habet, ab homine vsque ad pecus & vsq; ad agrũ possessionis suæ, vendi potest neq; redimi: sed omne taliter abdicatũ, sanctum sanctorũ est domino. Nullũ anathema, quod abdicatũ fuerit ab homine, redimatur, sed morte moriatur. Appositissime autẽ ad Hebraicam phrasim sic legitur, Omnis destructio, quam faciet destruere, ex homine non redimetur, sed moriẽdo morietur. Nõ quòd continuo occidi deberent quæcunq; deuouẽtur anathemata, sed quòd in eo statu vsq; ad mortẽ debeãt permanere, ad eũ videlicet vsum ad quem deuouẽtur. Samuel nobis exẽplo est, quem ita mater deuouit, vt diceret, Dabo eũ domino omnibus diebus vitæ eius. Et votũ recensendo dicit Anna 1. Reg. 1. Tradidi eum domino omnibus diebus, quibus fuit ipse cõmodatus domino. Vt autẽ appareat liquidior rei huius discursus, cõstat ex progressu huius capituli duplex esse votũ, æstimationis inquã & destructionis. Illud iusta æstimatione redimibile erat: istud nullo quamuis ingẽti precio poterat cõpensari. Ideoq; anathema mortis aut destructionis appellabatur, vt quod sic sanctificatũ foret, ꝙ in eo vsu vsq; ad mortẽ perdurare deberet. Interim nihil prohibet quippiã appellari anathema mortis non tam

ad obsequium, quàm ad supplicium. Sic enim dicta est ciuitas Hiericho anathema, & omnia quæ in ea sunt. Hic auté sanctificata dicimus, quæ diuinis officiis perpetuo sint addicta, idq; vsq; ad morté. Quod non esset, si mox perdéda forent. Nec huiusmodi sanctum immutari poterat aut melius malo, aut peius bono. Moriédo ergo morietur, hoc est, in eo statu fixũ immotumq; manebit vsq; ad mortem. Iam quicunq; continentiã deuouit solenniter perpetuo obseruandam: quid nisi voto destructionis censendus est alligatus, & eo quidem irredimibili? Quare relaxari non potest, domino eam facultaté apud se retinéte, penes quem est clauis, quæ claudit, & nemo aperit: aperit, & nemo claudit. Frustra auté quis obiecerit ea, quæ veteris organi sunt, nihil ad legé gratiæ pertinere: vt quæ sint exhausta viribus, si rationem obligandi attédas. Nam id quod est morale, perdurat, vtpote iuri affixũ naturali & diuino. Quale est id omne, quod deo deuotũ traditur: ac per traditioné transit in ius & dominiũ eius, cui deuouetur ad certũ quidé vsum, vtpote continentiæ cœlibatúsve. Nam de iure naturæ est, quod per traditioné acquiratur rei possessio. Si ergo res traditur ad vsum perpetuæ cõtinentiæ, auferri transferríve minime poterit, nisi consentiente domino. Interim non nego veteres cæremoniarũ ritus, vt sunt Nazareitas, nudipedalia, & reliqua id genus viribus non subsistere. Huc respexit diuí Thomæ perspicacissimũ ingenium: qui hoc telo munitus, theodidactis omnibus persuadet emissum perpetuæ continentiæ votum non esse humanitus relaxabile. Qui tametsi neget parem esse in monachatu & ordine sacro vim obligandi, æqua tamé in vtroq; ratio, népe traditionis & possessionis, ad perpetuũ vsum cœlibatus facile persuadet eandem accedere indispensabilitatis rationé. Quod supra declaratũ est abũde. Nam omne quod cõsecratur domino per rei traditioné ad vsum perpetuũ, nunquã nisi cõstante domini consensu & apparente, transferri poterit.

Nec refert, an excellentius aliquod cõmodiúsve bonũ reperiatur, q̃ ipsa continentia, quo scilicet permutari possit. Frustra enim laboratur, nisi adfuerit, de qua constet, apud dominum permutandi volũtas: qui sibi dicatã perpetuo cõtinentiam proprio reseruauit arbitrio, iure per traditionem

voti solennis quæsito. Accedente autem necessitate, prouidebit de victima holocausti in re apud homines deplorata, qui Isaac iamiā perituro immolandoq; arietē suppofuit ad obeundū sacrificiū. Nam si quando huic diuino instituto humana solertia obuiam ire tētauit: hæc signorū desertio, effectu deinde sequente, non leui animaduersione, nec obscuro exemplo punita est, vt suo loco proferenda exempla docebunt. Sic enim tristis exitus infeliciter attētata probare solet. Nam quoties à voto solenni dispensatū fuisse legitur, vnde tranquilla sperabatur quies: hinc Ilias malorum quædā prodiisse visa est. Vnde enim plaustra illa calamitatibus onusta in Appulia, Sicilia, atque adeo vniuersa Italia prodierūt, nisi ex infaustis nuptiis Henrici quinti quondā Imperatoris cum Constantia, Siculi regni hærede, ex cœnobio ad thorū tracta maritalē? Ea res totius Italici incendij fomitē ministrauit. Ex quo enim cœptū est tractari de cōnubio inter Henricum Imperatorem & Constantiā iam quinquagenariam, deo dicatā virginē, immanissima sequuta est tragœdia· quæ totā ætatem Clemētis tertij, Honorij, Gregorij noni, Innocentij quarti cruentissima clade fœdauit. Nam Henricus, vbi rerum in Appulia ac Sicilia potitus est, Gulielmum filiū Tancredi fraudulēter ad se allectū & tractum emasculauit: sorores eius innoxias tres in vincula cōiecit, nisi quòd & ipsæ, Neustria ac cœnobio relicto, Appuliā petiisse feruntur. Quo nomine meritas dederunt pro crimine pœnas. Quid plura? Sua spe fraudatus Innocentius tertius, iura ecclesiæ perturbantē Henricum diris deuouit. Et quæ deinde sequuta est proles, nēpe Fridericus & Manfredus, nihil pręter factiones in omne tēpus duraturas, necdum nostra ætate extinctas Guelphorū scilicet & Gibelinorum posteritati reliquit. malum nempe, quo non immanius vllum aut patres audierunt, aut vnquā videre nepotes, aut sunt aliquando visuri. Hic certe est Fridericus, quem tametsi vnum eundemq; indefessum propugnatorem Romana speraret ecclesia: nunquā tamen grauiorē aduersum se hostem, sibiq; & aliis nequiorē experta est. Adeo infesto erat animo aduersus Romanā sedē, vt in proprios liberos sæuierit, vel ob id maxime, ꝙ à parte ecclesiæ stare viderētur. Dixisses flagellū à deo immissum: quod nō prius vexā-

di finem fecit, quàm tres sibi succedentes pontifices ingenti tędio affectos extrema pati compelleret: si Antoninum ac Volaterranum super his differētes audimus. Hi scilicet fructus sunt posthabitę religionis, & quocūq; prętextu relictę. Nūquid enim colligūt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? Vt appositissime in eā rem à Christo domino pronunciatū legimus, A fructibus itaque eorum cognoscetis eos.

Iam quādo hanc viā accepta occasione sumus ingressi, nōnulla ex rerū toto orbe gestarū sylua proferemus exempla: quibus testatissimū erit diuinæ semper displicuisse maiestati signorū continentiæ ac cœlibatus desertionē: vt inde facile intelligas huiusmodi dispēsationibus inhiare, nihil aliud esse, q̄ ire aduersus impetū fluminis. Adeóne impune numini resistitur? Quis enim restitit ei, & pacē habuit? Felix igitur, quem facient aliena pericula cautum.

Author est Nauclerus in decursu nouissimo sextæ generationis Constantē, Constantij Britāni filiū regnandi libidine seductū, à monachali instituto diuertisse: sed paulo mox à Vortigerno Gerseorum duce, cùm vix sui propositi telam ordiretur, interceptum & occisum spretæ religionis pœnas dedisse,

Idem de apostata Iuliano recenseri poterat, nisi scirem omnibus esse notam historiam: qui exdiaconus factus in infidelitatem delapsus, misere & infeliciter periit.

Alfonsus quartus, Rictio ac Volaterrano authoribus, religioso se addixerat instituto, regni deserto diademate, & Ramiro fratre in suum locum suffecto: qui posteaquam boni propositi pœnitudine ductus, diadema repetere contendit, excitata aduersus Ramirum seditione, mox luminibus ac regnandi facultate priuatur.

Grauiori exemplo Henricū Anglū eius nominis primū pœnas dedisse, sęueriúsq; fuisse multatum author est Polydorus Anglicanę historię lib. 2. Cū enim regis Scotorū sororē, nomine Matildim, deo dicatā virginē, improbe sibi depósceret vxorē, ita vt cōpulsus Edgarus sororē matrimonio iūgendā Henrico dederit. Quę execrata prolē, si qua inde sobolesceret, effecit, vt proles inde sequuta infeliciter pierit. Nam Gulielmus ex Matilde genitus vnà cum Maria sorore, cùm Angliam ex Gallia repeterēt, naufragio perierunt;

idq; eo infelicius, quòd cùm Gulielmus iam in portu nauigaret, dum Mariam à periculo liberare conatur, cymba aduectus, sese in eam præcipitantium oppressus multitudine vnà cum illis pelagi vorticibus absorbetur.

Idem quoq; author est Ioannẽ filiũ nothum Ferdinãdi, qui ab initio monachatũ inierat, statim deserto monastico habitu à Lusitanis ad regiũ diadema vocatũ, regno aliquãtisper præfuisse. Fertur nihilominus Vrbano pontifice Romano religionis vinculũ dissoluẽte, ducis Leucastri filiam Philippã sibi matrimonio iũxisse, nec vtili sane, nec admodũ decoro apud posteritatẽ exẽplo. Fuerat enim religionẽ Militarẽ professus. Verũ recte Augustinus ait, Quidã corrigũtur, vt Petrus: quidã tolerãtur, vt Iudas: quidã ignorantur, donec venerit dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarũ. Vnũ tamẽ dixerim, ꝙ eũ iuris probabilis ignorantia post receptũ põtificis indultũ à culpa releuare potest: cũ ipse arma magis q̃ iura scrutari ac nosse debuerit. Sũt autẽ nõnulla, quæ per se quidẽ illicita sunt, sed probabilis ignorantiæ velamine ipsi authori minime imputãda teguntur.

Huc spectat quod refert Rhegino lib. 2. de Carolomano Caroli regis filio, regnãtis circiter annũ domini octingentesimũ septuagesimũ. Hic Carolomanus primo cleric⁹, inde diaconus ordinatus, in quo ordine põtifici missam celebrãti ministrauerat: qua gratia spreta, statim accepto militari cingulo, sibiq; adiũctis prædonũ turmis, mox in ecclesias debacchatur, cuncta diripiẽs, & inaudita mala perpetrãs. Cui correpto nec emẽdato iussu patris oculi eruũtur, iusto (vt Rhegino ait) dei iudicio: vt qui lucẽ, quę Christus est, spreuerat, in tenebras mitteretur exteriores: nisi quòd breui ad cor rediẽs, ad Ludouicũ auunculũ suũ rediit, calamitatẽ suã deplorans. Cuius misertus auunculus retrusit eũ in Absternacũ monasteriũ sancti Vvilibrodi: quo loco pœnitẽtię vsq; ad mortẽ peragẽdę tẽpus illi commissum est.

Poterã citare ex historia Gallica ambitiosi cuiusdã pseudomonachi Danielis exemplũ, vt inutile sibi, ita apud posteritatẽ parũ plausibile, parũq; decorũ: qui nihil inde retulit præter capillaturæ ac syluescẽtis barbæ proceritatẽ plus q̃ hircinã, & nominis insuper è sacro in prophanũ pmutationẽ. Nã pro Daniele Chilpericus appellatus, non multo

post inuicta Martelli virtute in ordinem redactus est.

Ebroinus pari penè exéplo, sed grauiore nota ac infamia, suę temeritatis pœnas luit. Qui authore Gaguino, post desertũ religionis habitũ, ac Lambertũ Heduorũ præsulé sua ecclesia extrusum, tandéq; lingua prius abscissa, oculis erutis, ceruice cæsum, vitaq; priuatũ, cùm finem innoxios persequendi non faceret, insidiis demum Ermenfridi interceptus interimitur.

Quid autẽ opus peregrinis lõgeq; petitis exéplis tẽpus inaniter cõsumere: cùm nostra nedũ memoria, verũ etiã ætate ipsi viderim' irã dei incubuisse in eos, qui desertis sacrę militiæ signis seculi aurã secuti, sese prophanarũt spe prolis habẽdę? Qua in re nũq̃ optatũ adsequi potuerũt. Quotquot certe mea ætate experiri potui huius religionis cõtẽptores cuiusuis necessitatis vtilitatísve prætextu, hi omnes ad vnũ suæ fabulæ actũ infelici fine clauserũt. Ex quo apertè intelligitur multa, quæ apud homines in speciẽ tolerãtu digna vidẽtur, summo ac sapientissimo iudici minimè accepta videri. Noui siquidẽ duas aut treis illustri admodũ sanguine progenitos: qui cùm fragilitatis prætextu, & spe futuræ prolis habendæ propagãdęq; sobolis, alioqui id sua stirpe pituræ, sui voti relaxationẽ vndecũq; quæsitis rationibus impetrarint, magno qdẽ fastu ac fuco coloratis: hi omnes ad vnũ prȩmatura morte prȩuenti sunt, nulla adhuc ex animi sentẽtia vxore inuẽta, nedũ ꝓle suscepta. Sic domino visum est coruos deludere hiãtes. Sua itaq; spe frustrati, signis desertis, nihil præter desertionis ignominiam referre potuerunt. E quibus vnus, qui adhuc superest, ducta vxore paulò mox delirio laborare cœpit, nihilaliud animo agitans, quàm assumptæ cõiugis interitũ & exitũ. Oderat siquidẽ illã cane peius & angue. Vidimus illũ aliquãdo sacris initiatum: qui posteaq̃ vincula dirupit, quãta laborare cœperit insania, certissimè cognouimus. Hæc sunt contẽptæ religionis certissima documẽta, à quibus abesse non potuit spretæ pietatis vltio, sed culpam mox pœna sequuta est. Nemo igitur nimium fidat Romanæ sedis diplomatibus, cùm videat deo minimè probari multa arte quæsitas voti solennis relaxationes.

Probat id, quod dicimus, Iacobus Meierus Flandricæ

scriptor historię. Scribit ille fuisse quendã Bochardũ Auenięsem, qui cùm à teneris literis humanioribus fuisset imbutus vsq; ad iuris ciuilis professionẽ, sacerdotiisq; Laudunẽsis ac Tornacensis ecclesiæ stipatus & auctus, tandẽ hypodiaconus factus, vt ei huiusmodi prouẽtibus frui liceret, alioqui renitẽs, nec in eã partẽ admodũ propensus: post aliquot demũ annos tori maritalis libidine attractus, ordine beneficiisque desertis, equestrẽ militiã inuasit (cuius insignibus à rege Angliæ donatus est) vxorẽ duxit ingenuam admodũ & illustrẽ nomine Margaritam, quam multorũ liberorum matrẽ effecit. Re cognita iubet Innocẽtius tertius, vt se abstrahat ab huius Margaritæ congressu, nisi velit dirisexecrationibus deuoueri: qui omnia prius se passurum respondet, q̃ tori semel initi abiicere delicias. Sed quàm infeliciter hæc illi omnia cesserint, certissimus docuit euentus. Ait enim author ille hunc Bochardũ in vincula coniectũ fuisse, tandẽq; capite truncatũ, & id quidem per omnia Flandrorũ oppida traductũ, ludibrioq; habitum. In summa nullũ agnoui huiusmodi sacrorum signorum desertorẽ, qui non suæ temeritatis exempla posteritati reliquerit, etiamsi obtinuerit quantũuis in speciem iusta & recta à summis pontificibus diplomata. Deus enim non irridetur, proinde caueat licentiosa posteritas.

Deniq; vix vnũ aut alterũ perlustratis authoribus reperias, qui non contemptæ religionis ac suę temeritatis pœnas luerit, in aliud seculum supplicio minime dilato: vt scias verum esse quod à Psalmista dictum est, Si vtique est fructus iusto, est deus iudicans eos in terra.

Eburonum episcopus ex clara Bauarorũ ducum familia prognatus, multã sibi à suis conflauit inuidiã: quæ non nisi multorum miliũ sanguine extingui potuit, vel ob hanc vnã causam, quòd hypodiaconus factus maioribus sacris ordinibus initiari nollet, cupiditate inflatus captandorũ magnæ maiestatis in seculo principatuum, quos spe successionis deuorabat. Ideoque à sacerdotij inauguratione auersum gerebat animum. (Author in Carolo sexto Paulus Aemilius.) qui meminisse debuerat, si vere præsulem egisset, paulinæ in Hebræis sententiæ, Contẽplantes ne quis desit gratiæ dei, ne quis fornicator, aut prophanus, vt Esau, qui

propter vnam escam vendidit primitiua sua. Scitote enim, quoniam & postea cupiēs hæreditare benedictionem reprobatus est. Nec inuenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lachrymis inquisisset eam.

Iam superest, quæcunque occurrent aduersus hunc immobilem scopulum allisa tela retundere, retusa casso ictu deflectere. Quod enim vulgo primum obiicitur de plenitudine potestatis pontificalis ex verbo Christi emanantis, Quæcunque solueris super terram, erunt soluta & in cœlis. Id certe verum est, claue non errante, modo ne auferatur alienū, seu ius alteri quæsitū. Nam si post possessioné adeptā rei acquisitæ summus pōtifex non possit transferre dominiū etiā inter homines alioqui subditos, quanto minus erga deum poterit post traditionem factam per votum solenne ius ipsi domino acquisitum in alium vsum transferre? Dicamus ergo soluta esse, quæcunque pontifex soluerit, modo ne præiudicium fiat tertio.

Illud pariter in procliui est elidere, quod opponūt votum continentiæ posse in melius aliquid commutari, scilicet in opus charitatis reipublicæ conducibile. Hoc inquam verum est, modo ne fiat eleemosyna ex rapina. Non enim licet alienum transferre citra domini consensum, vt quis alteri subueniat. Humana enim dispendia humanis compendiis repēdenda sunt: & deo, quod suum est, relinquendum, nisi de eius consensu constiterit. Extrema quidem necessitas, quæ hominum sunt, hominibus cōmunicat: at quæ dei sunt, soli dispositioni diuinæ reseruātur, nec humano subiici debent arbitrio.

Minus vrget quod deinde obiicitur, voluntati & arbitrio pontificis vota omnia ita subesse, vt semper subaudiendum sit, Modo ita summo pontifici placuerit. Quasi vero quæ domino acquiruntur, pontifici ita subiaceant, vt pro ipsius nutu ac renutu figi debeant ac refigi. Quod plane falsum est. Ne quis tamen aberret, illud non nego quædam esse, quæ promitti efficaciter non possunt sine ipsius pontificis voluntate, cùm scilicet de iure ipsius agitur. Sicut nec pupillus sine tutore, nec vxor sine viro in ipsorum præiudicium efficax votum emittere potest. Dico præterea aliqua vota pendere ab auctoritate summi pontificis,

vt cùm occurrente necessitate commutari & possunt & debent. Ea autem quæ sibi dominus reseruauit, & per traditionem sua effecta sunt, & sui (vt sic dicam) peculij: ea non pendent neque ab arbitrio nudo, neq; ab autheritate summi pontificis: quia nec irritari nec commutari possunt. Hoc enim ius diuinum voluntati non subiacet humanæ. Iam si excipienda foret pontificis authoritas in emittendis votis, cur non potius attendenda est diuina voluntas in eruenda possessione rei iam quæsitæ? Quanto magis illud attendendum est, minime lædi authoritatem pontificis, nisi vbi forte in re ad ecclesiam Romanã pertinente iure suo fraudaretur. In aliis manet sua cuique libertas in rem suam, vt aut retineri, aut alienari posit.

Mox autem occurrit aliud, quod merito quis obiicere posit. Si pontificis auctoritas eo se extendat, vt ius diuinũ interpretari suo iure posit, cur non etiam interpretabitur aduenisse occasionem, casumve emersisse, in quo continentia deo pollicita publicæ necessitati cedere debeat? Plana ad hoc responsio est, quòd interpretatio in dubiis tantum locum habet. Hoc autem citra omne ambiguum est, quòd continentia acquisita dómino, â nemine transferri debet, nisi constiterit de eius consensu. Aliàs interpretationis prætextu quæcunque homines posident, transferri possent à summo põtifice. Quod nemo sanæ mẽtis asserat.

Verum illud obiiciendum occurrit, Si res semel obsequiis tradita diuinis, nec auferri potest, nec transferri, nisi oraculo diuinitus recepto: ergo non licebit sacratos semel conflare calices in vsus pauperum distribuendos. Quod tamen Ambrosius fecisse legitur: & super huiusmodi facto commendatur. Nam eius eleemosynas enarrat omnis eccclesia sanctorum. Huius rei meminere canones, Aurum habet ecclesia. &, Gloria episcopi, 12. quæst. secunda. Verum ad id respondere promptum est, Constare de consensu maiestatis diuinæ, vt sacra etiam vasa pro accedente necessitate dispergantur in pauperes. Hoc enim oraculo Christi fieri posse constat, qui ait, Euntes discite, quid est, misericordiam volo, & non sacrificium. Qui etiam iubet, vt prius reconciliemur fratri, quàm offeratur munus ad altare. Ex quibus liquet domino magis probari ac præfer-

ri pietatem erga proximum, sacrificiis deo oblatis. Hic ergo constat de voluntate domini in pietate colenda: quod minime constat de continentia relinquenda. Laurentium vniuersa ecclesia commendat, quòd thesauros ecclesiæ dispergens pauperibus dederit. At nemo vel sponsi vel sponsæ voce laudatur, quòd deo dicatam continentiam quocũque prætextu reliquerit. Sic semper immota manet inuicta veritas de non relaxando continentiæ voto. Quin potius ex historiarum lectione constat pertristes inde sequentes effectus ingratam deo fuisse semel dicati cœlibatus relaxationem. Non enim licet post traditionem illi semel factam, ab eo auferre quod suum est.

Verum quid dicturus es, inquies, de eo, cui nisi aperiatur via ad coniugium ex benignitate dispensantis, sibi præmature mortem consciscere parat: nec longe abest vt desperet: an huic etiam negabitur dispensatio? Vtique negabitur: sed aperietur tamen illi via ad salutem, monebitúrque, & quoad fieri poterit, persuadebitur: imo & piorum suffragio adiuuabitur ad iactandum in domino cogitatum suum, qui & ipsum enutriet, vt diues est in omnes qui inuocant illum: prope enim est omnibus inuocãtibus eum, inuocantibus inquam eum in veritate. Nam quæ dei sunt, diuinis sarcienda sunt auxiliis.

Demum explodenda venit Abbatis Siculi à plerisque recepta sententia: ita tamen, vt ex progressu constare possit huius sententiæ consortes non parum à spirituali abesse iudicio. Hic inquam Panormitanus in cap. Cùm ad monasterium. de statu monachorum. satius habuit Innocentij tum commentatoris ac Ioannis Andreæ carnalem sequi sententiam, quàm ipsius summi pontificis, à cuius spiritu pẽdere oportebat, grauissimam authoritatem. Qui luce clarius à se, suísque successoribus abdicat dispensandi facultatem in votis monasticis. Ait enim, Abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeo est annexa regulæ monachali, vt contra eam nec summus pontifex possit licentiam indulgere. Nam quod Innocentius licentiam pro abusu accipiens, rimam sibi quæsierit qua euaderet, stupidius est, quàm vt refelli debeat. Lusisset enim in re seria pontifex, si licentiam pro abusu à se abdicandam

dixisset : cùm nusquam licitus sit abusus. Rectius autem Bartolus licentiam accipit pro relaxatione etiam rationabili. Quo fit etiam contra Parnormitanum, vt textus neget iure, & quidem licito posse relaxari continentiam.

Quæ ex eo sequuntur, ridicula sunt. Ait enim quasi satisfacere volens textui, non posse dari licentiam scilicet ex facili causa. Hoc est torquere textus, non interpretari. Hoc enim est commune cum cæteris, non solum in hoc voto solenni: ideo aliam rimam quærit, quam sibi satis placere profitetur: sed quàm recte placere debeat, non video. Ait enim debere intelligi non licere pontifici dare licentiam, nisi commutando in bonum melius. Sed cur magis in isto, quàm in aliis? Adde, quòd verba præcedentia hanc intelligentiam explodunt, cùm dicat, Non æstimet abbas, quòd super proprietate possit dispensare: cùm nec ipse summus pontifex id valeat. Iam nullus est hic de commutatione sermo. Ideo istud est corrumpere potius, quàm interpretari. Multo ergo rectius intelligebat pontifex nullum esse relaxationi locum super voto continentiæ in præiudicium eius, qui post traditionem factam habebat ius quæsitum, nisi de ipsius consensu constaret.

Verum libet ipsius Panormitani singulos fucos excutere, quibus suum tegere conatur errorem. Primum confutandum est eius exemplum propositæ per eum necessitatis, quod huiusmodi est, Si quispiam rex Ethnicus vellet iurare in verba fidei Christianæ, non nisi ea lege, quòd sibi monialis deo dicata matrimonio iungeretur. Eo (inquit ille) casu huic necessitati cedere deberet continentia etiam voto dicata solenni. Qui si apud se fuisset, recordari debuerat (vir alioqui eruditissimus) contrarium docuisse diuum Matthæum in eo ipso, qui proponitur casu. Neque enim cædere voluit Hirtaco regi Aethiopum offerenti suam ac suorum in verba fidei obœdientiã, modo liceret Iphigeniam virginẽ deo dicatã sibi accipere vxorem. Tibi non licet (inquit Matthæus) summo principi sponsam addictam auferre, & ablatam tuo peculio adscribere. Quin ipse Diuus Matthæus satius habuit mortem

oppetere, q̃ huic improbæ petitioni iuxta ac impiæ consen tire. Aegesippus author, nascentis, & v rè apostolicæ illustrator ecclesiæ, Vides q̃ malè cōsentiant inter se diui Matthæi & Panormitani iudicia. Sic solet caro militare aduersus spiritũ, & spiritus aduersus carnẽ. Verũ audiendus est spiritualis, qui omnia dijudicat etiam profunda dei. Minus etiam audiendus est, dũ ait, ꝙ virgo obtēperans matrimonio se offerret in holocaustum. Quasi vero holocaustũ carnale sit, non spirituale, aut quasi Paulus absterreat ab holocausto, qui à coniugio inuitat ad cœlibatũ. Sed grauius est, minusq; recipiendum, quod subiungit, maximam hic videri charitatem, si quis corpus suũ ponat pro proximis suis. Sic semel degustata carne, desipit spiritus. Christus de vita martyrio consecranda loquitur, hic autẽ de corpore delitiis tradendo nuptialibus sentit. Hoccine est euangeliũ interpretari, an corrumpere? Nam & pseudographe recitantur sacra Christi verba, & prępostere adaptantur. Id autem alio soluitur loco, ꝙ ait religionem vim suã accipere ex authoritate pontificis: quo fit, vt dispensare possit. Primum quidẽ falsum est, quod assumitur. Nã anathema mortis, de quo Leuit. vlt. (vt paulò antè declaratum est) defluxit à iure diuino. Sed vtcunque res habeat collectio nulla est, quia auferri non potest alienũ, adepta semel possessione in præiudicium eius, qui habet ius quæsitũ, nisi constiterit de consensu. Neq; enim transferre potest possessionem vnius in alterũ. Quod si non potest erga subditum, quanto minus erga supremum dominũ, cui traditio facta est in vsũ perpetuæ continentiæ? Quòd autem argutatur de causa, & non causa, constare debet nulla causa fieri debere, vt auferatur alienum. Et dominus nunq̃ deerit inuocatus.

Si quis nobis opponat acta pontificũ. Huic respondet Syluester in verbo, votũ, post piorum patrũ oracula. Dicendum itaq; dispensasse cũ quibusdam ius interpretando Pontifices, vbi vix suberat plena libertas apud vouẽtẽ. Qua de re agitur in cap. Consuluit. & ca. Charissim⁹ de cōuersione cōiugatorũ. Quòd si vltrà attẽtatũ sit aduersus cōsũmatam voti rationẽ, q̃ ingratũ id fuerit diuinæ maiestati, ex postfacto tristes docuerũt euẽt⁹. Nos aũt nō qd factũ sit, sed quid fieri debuerit, inqrim⁹. Scriptũ autẽ est, Spiritu ambulate,

& desideria carnis non perficietis: ꝓinde fluxa est huiusmodi collectio. Quòd vbi pontifex sua authoritate obstare possit, ne quis voueat, si res ita exposcat pro vrgenti necessitate: ꝗ etiã possit eo casu succedẽte emissũ relaxare votũ. Hoc, inquã, nullatenus admittendũ est. Nã facilius est rei cuipiã obuiã ire ne fiat, quàm id quod factũ est dissoluere. Quod postremum sine iniuria fieri non potest. Nam hoc esset ius alteri quæsitum tollere.

Quid igitur? Dãnabimus ne, & qui relaxandã censuẽre cõtinentiã pontifices, & qui oblata sibi dispẽsatione vsi sũt reges & ꝓceres? Ad id quidẽ partim respõsũ est ꝓbabilẽ super facto licito æstimationẽ suffragari potuisse, vt à culpa excusentur, & cũ quibusdã ita fuisse actũ, vt in voto mutilo ac nõ plene cõsummato caderet iuris dispensatio. Nos autẽ quærimus quid reipsa tenendum sit, non quam excusationem ignorantia possit adferre.

Vt autẽ ad rẽ propius accedamus, excutiẽda est dispensatio illa facta cum rege Arragonũ, ad quam veluti ad sacrã anchorã omnes qui aduersam partẽ tuentur, cõfugere solent. Iste nimirũ est Ramirus, quẽ Sigisbertus Remelium, alij Ramirim vocãt. Cuius meminere Michael Ritius, Raphael Volaterranus in re Hispanica. Refert autẽ Baptista Fulgosius tit. de religionis cultu, quod tametsi põtificis indulto id obnixẽ petentib⁹ Arragonijs ex cœnobio transierit ad nuptias: nõ tamẽ ita existimauit se vsq; adeo religione solutum, seu (vt aiunt) de monacho factũ non monachũ quin suscepta prole etiã deterioris sexus, hoc est, nõ masculã, thori relictis deliciis ad monasteriũ reuersus sit. Quod quomodo fieri potuisset, nõ video, nisi de vxoris consensu, quã etiã pari vinculo cõtinẽtiæ innodari oportuisset, si verũ erat inter eos cõiugij vinculũ. Par itaq; fuerit æstimare, ꝗ idcirco ad priora vota redierit, vt propriæ conscientiæ satisfaceret, quæ omnino refragabatur huic relaxationi voti. Sed quid, inquies, attinebat ex toro nõ maritali prolem suscipere illegitimã, & ad succedendũ minus capacẽ? Quæ omnia sequi necesse est, nisi hoc loco admittatur voti solẽnis relaxatio. Ad quod respõdendũ, ꝗ cõmunis error facit ius, ex lege Barbarius Philipp⁹: quodq; põtificis cõsensus interueniẽs, bona fides & obœdientia partiũ mutuo cohabitãtiũ

ex ꝓbabili ignorãtia ꝓcedens, ac populi consensus efficere poterant. vt proles ad succedendũ videretur idonea: quę tamẽ res controuersia non caruit apud posteros, causa penitus inspecta, ac ex omni parte discussa. Nã & difficultatem auxit bellũ in ipsa cognatione exortũ ꝓ successione regni Arragoniæ. Ideoq; ab huiusmodi dispensatione abstinẽdũ esse & priora docent, & quæ sequũtur, exempla.

Simile accidisse intelliget in quodã Germaniæ principe, qui post monachatũ, suscepta prole, cũ ad cœnobiũ regrederetur medio itinere Diuione apud ædem sancti Benigni ante valuas chori sepult⁹ est. Inscriptio sepulchri ei⁹, id quod asseruim⁹, plane indicat, quã & ipse perlegi testis oculatus.

Nec dissimili vsus est exẽplo Vveremundus Hispaniarũ rex. Qui, vt Fulgosius tradit, post susceptos duos ex vxore liberos, memor diaconat⁹ ante cõnubiũ suscepti monachũ induit, regni diademate cõsobrino hæredi succedenti relicto. Id autẽ quis factũrũ eũ existimasset, si credidisset se ꝓrsus religione solutum? Aliud ergo intrinsecus vnctio suadet viris theodidactis, aliud exteri⁹ humana coniectura tradit. Porro à ꝓpria magis cõsciẽtia, q̃ ab externis, & his quidem non admodum certis, nos oportet pendere iudicijs.

Debet igitur in ea vocatione, qua quisq; vocat⁹ est, permanere. Et id quidẽ laude digno exemplo, quale olim fuit facinus Therasiæ sororis Alphonsi quinti. quã (vt ait Michael Ritius in rebus Hispaniæ lib. 3.) pertinacissime recusantem nuptias Abdalæ Toletani principis, monuisse ferũt vt designatum coniugẽ, ne se contingeret olim Christo desponsatam: quemadmodũ & de beata Cecilia legitur. Cũq; Abdalas Toletanus monita negligeret Therasiæ, sequutum inde est, vt in grauissimũ incideret morbũ, eáque ob causam ad fratrẽ remissa est, quæ continuò Parthenonem cœnobiũve diui Pelagij ingressa, vitam cœlibem duxit. Cur non istud potius proponitur continentię cõseruandæ, quàm vnum aut alterum dissoluendi voti exemplum?

Ex eodem quoque Ritio legitur, quòd Ioannes Ferdinandi ex pellice filius quorundam suffragijs euectus sit in regni fastigium, quum tamen professus esset religionem, quæ Militaris appellatur. Verũ quo iure, quáve iniuria id fecerit, quo demũ euẽtu, ex historia facile deprehenditur.

Præclarius multò egerunt, qui fatali quadam necessitate ducti pro patria & publica vtilitate secessum monachalem interrūpentes ad tempus sæculo seruierunt: ponte tamen à tergo relicto ad pristina vota redierunt. Hoc enim est seruire præsenti necessitati, non voti vinculis eximi.

Author est Rhegino Prumiensis sub indicatura anni domini octingentesimi sexagesimi octaui, regem Bulgarorum statim à suscepto baptismate regni præfecturam exuisse, & loco paludaméti regij cucullā induisse, suffecto filio natu maiore. Qui cum sui oblitus, totus in prædam & libidinem effusus, ad veteres Gentilium ritus populum inuitaret: pater sacro deposito habitu, ac militiæ cingulo ad tempus resumpto, filiū persequitur, oculos eius effodit, eumq; retrudit in carcerem, assumpto ad regnū minore natu filio, cum interminatione paris aut grauioris supplicij, si paria cum fratre attentare pergat. Quibus peractis, pater religionis habitū vitamq; resumit, & in his ad mortem vsque perseuerauit.

Huic simile est quod apud Sigibertum factum legitur, anno ferè domini millesimo centesimo septuagesimoprimo, de abbatissa Rummesię Stephani regis filia. Quæ cum malo & irreligioso exemplo à Matthæo, filio comitis Flandriæ, coniugio abducta fuisset: illa tamen deum timens redijt ad religionem, vnde inuita recesserat.

In huiusmodi dispensationis opere terra maledicta docet nihil esse attentandū, vt quæ non nisi spinas & tribulos germinet, quemadmodū in simili diuus Gregorius docet in responsionibus ad interrogationes Augustini Anglorū episcopi capite sexto. Experimento, inquit, didicimus ex tali coniugio sobolem non posse succrescere, & sacra lex prohibet cognationis turpitudinem reuelare. Vnde necesse est, vt iam tertia vel quarta generatio fidelium licenter sibi iungi debeat. Nam secunda quam diximus, à se omnino debet abstinere. Ecce per effectus docet Gregorius dispensationem nonnunquam iure poli esse inualidam.

Existimarem satis esse factum in refutandis aduersę opinionis qualibuscunque argumentis, nisi & istud quod obijci possit, occurreret. Si pontificis authoritas sacramentorum, quæ diuinitus instituta sunt, materiam irritam & il-

legitimam reddere possit, vtpote circa gradus cognationum modo plures illegitimando, modò pauciores: vt est in capite, Non debet. de consanguinitate. cur non etiam irritare poterit voti solennis materiam, & ante & post votum emissum? Ad quod respondendum est leges irritationis, commutationis, aut redemptionis votorum pendere à præscriptis legis diuinæ. adeo vt si quis infringere, aut dissoluere, seu irritare votum attentaret contra vniuersalis ecclesiæ placita ex scripturæ fontibus hausta, dissipator poti⁹ censendus foret, quàm dispensator.

Nemo itaque dicat pontificem posse dispensare contra ius diuinum aut apostolicum. Nemo enim aduersus legislatorem facit, qui nihil exequitur nisi ex eius præscripto. Pōtifex autem omnia facit sub iuris diuini concessione, vt nō plus possit, quod illi à deo permittatur: iure, inquam, aut scripto, aut per spiritum sanctum, & ecclesiam interpretato. Qui enim dedit claues, potestatemque ligandi & soluendi, dominus est. Nisi enim vota interpretationem acciperent, ea potissimum, quæ imperfecta censenda sunt, aut defectu materiæ aut deliberationis, aut alia quauis ex causa. Hæc, inquam, nisi interpretationem acciperent, deterior foret nostra quàm Iudæorum conditio, apud quos locum habebant votorum irritationes, commutationésve in melius, seu pro re æquali redemptiones. Quorum omnium facultas summo pastori concessa est ouium pascendarum commissione, soluendique ac ligandi, prout vrget necessitas, aut publica suadet vtilitas, indulta potestate.

Quo fit, vt possit illegitimare materiam aut matrimonij, aut pœnitentiæ. Hoc enim pertinet ad ouium pascendarum curam. quum tamen circa materiam sacramenti Eucharistiæ vix occurrat, quod immutari possit, vt quæ nihil habeat cum pastura ouium commune. Quod si forte casus occurreret post promulgatum toto orbe euangelium, quocirca panem & vinum in sacrificijs apud antipodes celebrādis quidpiam immutandum foret, vbi forte apud illos fidei Christianæ sacramenta complexos panis vsus & vini toto orbe suo à natura denegaretur, illud ecclesiæ indicandum relinquo, quæ sic suo sponso innixa est, vt nunquam secretiore ipsius deseratur afflatu.

te colliguntur ex Numerorum cap.30. Quo quidem edicitur impuberes nondum plenæ rationis capaces voto minimè adstringi. Indicat enim hoc textus, Si quis virorum votum vouerit domino, non polluet verbum suum. Virorum dicit, non impuberum. Nec sufficit propositum, nisi quoque intentio adsit se obligandi. Hoc enim Hebraica nõ ociose expressit. Si quis virorum iurabit iuramentum ad ligandum ligamen super animam suam quo verbo intentio se obligandi exprimitur. Colligitur ex his, quæ dicta sunt, neminem proprio voto irritando esse idoneũ. Nemo enim irritat votum, nisi qui patitur ab altero præiudicium. Atqui nemo sibiipsi præiudicium facit, vbi tamen circa materiam licitam ex pręmeditato quicquam pollicetur ex voto. Quocirca nec ipse pontifex summus proprium votũ mera volũtate irritat, nec circa ipsum salua cõsciencia sine causa dispẽsat. Nec audiẽda est Felini subtilis exceptio in cap. Constitutus. de rescript. qui censet pontificem ex arbitrio dispẽsare posse in re iurata ad se pertinẽte, quia, vt ait, subaudienda fuit eius auctoritas. Hoc certe minimè releuat. Dum enim seipsum obligauit, cessit iuri proprio sciens ac prudẽs. Aliàs nullus apud pontificem contractus esset validus: qui rem alienam præstare non potest, nec in re sua firmiter contrahere. Quòd autem ait posse pontificem differre se suspendere vim iuramenti: idipsum negauerim, nisi ex caussa. Scriptum enim iure diuino: Si quid promiseris deo, ne moreris reddere. Non enim solũ ablatio, sed & dilatio præiudicium facit iuramento, ita vt nec differre sine caussa possit, nec auferre. Sed istud parergon. Irritantur autem vota mulieris sub viri potestate constitutæ, seu per coniugium vt vxoris, seu per pupillarem ætatem cuiusuis sexus. Quocirca non possunt alienum distrahere, nisi ex cõsensu. Alienum dico, quod est tutelari potestati obnoxiũ. Iam si pater requisitus, tacuerit: voti reus ést, qui semel vouerit. Silentiũ enim tutoris habetur pro consensu. Reclamatio autem fieri debet infra diem requisitionis. Hoc declarat Hebraica, Si fregit pater eius eã in die, qua audiuit ipse: vota & iuramẽta eius irrita erunt. Móxque sequitur, Si autẽ audiens vir tacuerit, & distulerit in diem alterũ sententiã, firmabit omnia vota eius. Hęc autem dilatio nõ sic accipiẽda est de eo, qui

ex caussa differt responsionē suam. Ea siquidem non aufert facultatem irritandi votum. Verū hic agitur de differente, id est, de eo qui interrogatur, & nihil respōdet, nec dicit se velle cōcedere, aut negare, aut differre. Huiusmodi taciturnitas per diē cōtinuata habetur pro cōsensu. Sic enim Hebraica dicit, Firmauit ipsa scilicet ligamina, qa tacuit in die audire sui. Quòd si post huiusmodi silētium attētet irritare votū marit⁹: hoc ei imputabit ad culpā, & vxor obœdiēdo immunis erit à culpa. hoc est qđ dicitur, Si franget post audire suū, portabit iniquitatē suā. Quòd si pater siluerit, nō tamē cōsenserit, an in foro cōscientiæ reputetur pro cōsensu quo ad hūc effectū? Quòd nō: quia lex cōsciētiæ innititur veritati, & nō præsumptioni. Quòd sic: quia lex diuina etiā ligat in foro cōsciētiæ, quæ dicit, ꝙ irritās post dilationē siue cōsenserit siue nō, facit culpā suam. Dicendū ꝙ verba legis intelligenda sunt iuxta fori conditionē. Conditio autē fori cōsciētiæ est, ꝙ innititur veritati, & nō præsumptioni. Ideo nō obstāte silētio, si nō cōsenserit quo ad cōscientiā, nō peccat irritando: in foro verò exteriori propter præsumptionē arcebitur ab irritandi facultate. Simile est de proferēte verba matrimonii sine consensu in pectore, qui cogitur exterius ad cōtrahēdū, si antea ficte cōtraxerit. Verū quæstio hic oriri potest, An in huiusmodi præsumpto non vero matrimonio sine consensu cōiugalis copulæ cōsummato, summus pontifex dispensare possit? Quòd sic: quia non est verum matrimoniū, nisi in præsumptione & foro exteriori. Cessat ergo vinculū iuris diuini. In reliquis potest summus pōtifex. Verūtamē hic aduersatur ratio. Primùm. n. summ⁹ pōtifex nō potest derogare iuri ꝑ vxorē quæsito, nec fictio ita illi prodesse debet, vt vxor teneatur credere illum fuisse mendacē, dum cōiugii verba proferret. Neq; enim credendū est neganti, qui nō vult ꝙ sibi credatur affirmāti, & sibi fidē derogat, qui asserit se fuisse mēdacē. Verū demus partē alterā cōsentire dissolutioni hui⁹ matrimonii. Nec sic quidē admittēda est dissolutio, vel ob id maximè, quia decolorare tur ecclesiæ stat⁹. Siquidē plurimos videres, qui in odiū initi cōiugii ꝑsanctè iurarēt se fictitiè verba protulisse. Sic nusq̄ essent tuta matrimonia, si quā dispēsationis rimulā inuenire possent pleriq; cōiugatorū. Papa autē nō potest, nisi ad ędi-

ficationē,nō in deſtructionē. Ex his omnib⁹ cōſtat irritādi facultatē à deo cōceſſam ita ad ius irritātis ptinere, vt alieno iuri pręiudiciū nō inferat. Votū autē ſolēne ſi relaxaretur, ius deo quęſitū nō expectato cōſenſu auferretur: quare vana eſt illatio ab irritatione ad diſpēſationē voti ſolēnis. Nec cadit interpretatio in cōtrariū, quā ſomniat Roſellan⁹ Aretius falſo ius tribuēdo pōtifici, quo decernere poſſit matrimoniū ad tēpus in monacho pro ſalute Reip. cum in iure manifeſto nullus ſit interpretationi locus in contrarium. Quid autem clarius hac lege: Quos deus coniunxit, homo nō ſeparet? Nulla igitur cadit indulgētia matrimonii ad tēpus, dū ſcilicet ꝓles emerſerit Quare fruſtra laborat Roſellanus. Nec ſequitur, Papa poteſt illegitimare materiā aliàs legitimā: ergo legitimare illegitimā, ratiōe voti ſolēnis. Cū de⁹ hoc ſibi reſeruauerit, ne ſacra ac ſibi dicata poſt quęſitā poſſeſsionē aliis prophanētur vſibus, vt vberrimè ſupra ꝓbatum eſt. Omnino autē quod ad vinculū diſſolutionemve attinet, idem exiſtimandum cenſeo in voto ſolenni, ſeu ſacri ordinis, ſeu monaſtico, quod dici ſolet in matrimonio conſummato, in quo tam metus quàm ignorantia non ligāt, aut metū paſſum aut prorſus ignorantem ob defectum cōſenſus. Quapropter ſi quis in cunabulis (quod aiūt) ordinaretur, aut certe metu cōpelleretur ad ordines ſuſcipiendos, hūc ego negauerim teneri ad cœlibatū, niſi de nouo cōſentiret. Ideoq; apud eos, diſpēſatio eſſet iuris declaratio. Verum ſi quis accederet, nēpe tantū diſſentiēs, omnino tamen tacēs nulloq; externo reluctās iudicio, merito cogeretur cōſentire in vinculū cœlibat⁹, vti de vinculo cōiugii dici ſolet apud eū qui negat ſe cōſenſiſſe, cū verba cōſenſus ꝓtulerit, Cui vt iura clamāt, nō creditur negāti, qui ſibi credi nō vult affirmāti. Sic & in eo qui ſuo ſilētio annuit, & man⁹ dediſſe cēſetur cœlibatui, nō credetur ſi dicat ſe diſſenſiſſe. In vtroque enim matrimonio tam corporali q̄ ſpirituali ſolēnizato ac iā cōſummato, quos deus cōiūxit, homo nō ſeparet. Nec minus ius quęſitum eſt deo & eccleſię in cœlibatu q̄ viro in mulierē, aut mulieri in virū, cōſummato ſemel matrimonio. Nulla igitur diſpēſatione tolli poterit ius quæſitū, quinetiā decoloraretur ſtat⁹ eccleſiæ vniuerſalis, qua in re ceſſat auctoritas ſummi pōtificis. Neque id mirū cùm ſcriptum ſit,

INDEX LOCORUM insigniorum huius operis, ordine alphabetico.

A

B

C

Errata quædam ſic caſtigato.

Pagina.	Linea.	
3.	21	ſilentiaria.
18.	26.	quiſque,lege ſuisq̃ue.
27.	25.	Quot enim,dele enim.
31,	35.	Senſon,lege Sanſon.
53.	19.	fotis,lege fontis.
64.	5.	coſtodire,lege cuſtodire.
65.	28.	ſorpor,lege ſopor.
76.	37.	Nazanzeno,lege Nazianzeno.
157.	13.	Cùm venero,lege, Cætera cũ venero.
Eadẽ.	18.	Cùm autem,lege Cum enim
160.	21.	pruritum,lege pruritu voluptatis.
161.	15.	lege,ne Grę̨cis quidem licuit.
193.	19	duas,lege duos-
Eadẽ.	22.	id ſua,lege alioqui à ſua.

PARISIIS
EXCVDEBAT IOANNES LODOI=
CVS TILETANVS.
1545